II C50

SYNODUS

COMPSANA ET CAMPANIENSIS.

S Y N O D U S

COMPSANA ET CAMPANIENSIS

AB ILLMO ET REVMO DOMINO

MICH. ARCHANGELO LUPOLI

ARCHIEPISCOPO COMPSANO

CAMPANIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATORE

CELEBRATA

VI. V. IV. ET III. KAL. MAIAS AN. MDCCCXXVII.



N E A P O L I

Typis Sociorum Morelli, et De Bonis

MDCCCXXVII.

E D I C T U M

CONVOCATIONIS SYNODI DIOECESANAE.

MICHAEL ARCHANGELUS LUPOLI

MISERATIONE DIVINA, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS COMPSANUS

CAMPANIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATOR PERPETUUS

OMNIBUS ET SINGULIS CHRISTI FIDELIBUS COMPSANAE ET CAMPANIENSIS DIOECESIS

Salutem in Domino.

Aeternus Pontifex Christus Iesus Dei Filius, qui Ecclesiam in sui proprii sanguinis stabilitate fundavit, eam Pastoribus curam proposuit animarum, ut omni studio, omnique solicitudine, ac sollertia concreditas oves a noxiis pascuis ad salutaria, a terrenis rebus ad caelestes revocare adniterentur. Quae sane cura, et cogitatio, cum in ceteris pastoralibus muneribus exercitos, et irrequietos, tum in Synodalibus etiam Comitiis cogendis defixos nos maxime habuit, quo praesidio Tridentina Synodus, et ipsis Pastorum officiis, et animarum saluti consultum esse voluit. Sed quae res ad Synodalem Dioecesis nostrae Conventum maturandum incitabat, eadem haud parvam pastorali nostrae solici-

tudini obiecit cunctationem. Nam sicut ab anno usque MDCCX. *nulla Dioecesana Synodus coacta, flagitare a nobis videbatur, ut ipsis primis nostri regiminis diebus huc omnis cura nostra intenderetur, ita necessitas ordinandi Ecclesiasticam disciplinam, superiorum temporum iniquitate non mediocriter perturbatam, tanto plus spatii postulare videbatur ad rem complanandam, disponendamque, quanto diutius fuerat Synodalis actio intermissa. Quocirca, lustrata iterum, ac tertio universa Dioecesi Compsana, nedum Campaniensi, ad alteram hanc pastoralis muneris partem, sane omnium gravissimam, animum convertere in Domino existimavimus, ut quae statuenda, decernendaque sunt, pro ea, quam populis fidei nostrae commissis debemus, sancta anxietate, Deo bene iuvante, statueremus, et decerneremus.*

Itaque his litteris nostris Concilium Dioecesanum indicimus ad VI. *Kal. Maias. Ut autem omnibus quibuscumque, qui iure, aut consuetudine Concilio interesse tenentur, haec Synodi denuntiatio plene innotescat, neve ullus excusationi pateat locus, eos ipsos, hoc Edicto publice proposito, iubemus die a nobis praestituto ad* VI. *Kal. Maias huius anni in nostram Cathedralem Ecclesiam Campaniensem (quominus enim in Metropolitana Conventus agatur, hospitiorum prohibet angustia) convenire, et Concilio, quod auxiliante Dei misericordia inchoabimus, praesentes adesse, poenis, et censuris propositis, quae sunt Canonum iure sancitae.*

Ne autem ex Parochorum absentia subdolus ille, infestissimusque animarum hostis diabolus praedandi, et in

gregem grassandi ullam adripiat ansam, nemo eorum se viae committet, nisi quae suae cuiusque sunt partes ante obierit, atque infirmos praesertim inviserit, Sacramentaque illis, ubi opus fuerit, ministraverit, et tum eorum, tum reliqui gregis curam probato Sacerdoti crediderit.

Quandoquidem vero momenti multum in eo positum est, ut hoc potissimum tempore, et in tam gravi actione Sacerdotum fides, integritas, religio, pudor eluceat, quam quo maxime, monemus ideo in Domino omnes, ut etiam in itinere ipso, quod Synodi caussa facturi sunt, nihil quidquam ab Ecclesiasticae vitae disciplina, et a Sacerdotali morum gravitate, et modestia deflectant, nihilque in iis non simplex, non castum, non integrum cernatur, ut et populus glorificet Patrem, qui in Caelis est, et pietatis eorum exemplo ad virtutis imitationem incitetur.

Porro quum huiusmodi sit res, quam adgredimur, ut tum ipsa nostra, tum commissi gregis salus in ea vertatur, pari, atque intensiori studio edicimus, ut a die promulgationis harum litterarum in omnibus utriusque Dioecesis Parochialibus Ecclesiis, quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad Synodus absoluta, ac dimissa de more erit, in Missae Sacro collecta addatur de Spiritu Sancto; et in Metropolitana insuper, et Campaniensi solemnis Supplicatio singulis Dominicis intra Ecclesiam obeatur ad impetrandam omnipotentis Dei opem, sine qua nihil boni, nihil salutaris ipsi cogitare, aut efficere possumus.

Unum reliquum est, ut Fideles omnes utriusque nostrae Dioecesis compellemus, filios nostros charissimos, quos in visceribus Christi iugiter portamus, ut adsiduis orationibus, et omni Christianae pietatis studio auxilium nobis a Deo misericordiarum, et totius consolationis Patre implorent, ut eius ope adiuti, facilius quaecumque ad sanctissimam disciplinam restituendam, amplificandamque accommodata, et necessaria sunt, cum ad Dei gloriam, tum ad commissi gregis salutem decernamus.

In quarum rerum omnium fidem has litteras nostro signo muniri, tum nostra etiam manu signatas in vulgus publice proponi voluimus, et Metropolitanae nostrae Ecclesiae Compsanae, et Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, et Parochialium Ecclesiarum, et Aedium etiam Archiepiscopalium valvis adfigi iussimus. Quam adfixionem eam habere vim declaramus, perinde ac singulis, quorum interest, adlatae, denunciataeque essent.

Datum Compsae apud S. Andream ex Aedibus Archiepiscopalibus III. Idus Februarias MDCCCXXVII.

M. ARCHANGELVS ARCHIEPISCOPVS COMPSANVS
ET CAMPANIENSIS.

Loco ✝ Sigilli.

Ioseph Primicerius Forlenza a Secretis.

ACTA

SYNODI COMPSANAE, ET CAMPANIENSIS.

SESSIO I.

Habita VI. Kal. Maias.

PRIMA die, summo mane, quum omnes in Cathedralem Ecclesiam convenerint, Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopus solemni ornatu Sacris est operatus, ac manu sua Clero Divinam Hostiam praebuit. Sacro peracto, ad infimum altaris gradum genua demisit, ac paullisper tacitus oravit. Mox omnibus rite ad Pontificalis libri praescriptum absolutis, universum Clerum gravi sermone est adloquutus; et e vestigio haec edidit decreta.

DECRETUM I.

Quo Synodus incoepta declaratur.

Nos MICH. ARCHANGELUS Dei, et Apostolicae Sedis Gratia Sanctae Compsanae Ecclesiae Archiepiscopus. Campaniensis Ecclesiae Administrator perpetuus. Ad Dei omnipotentis aeternam gloriam, ac Deiparae semper Virginis Mariae, et S. Herberti Archiepiscopi Compsani, et Beati Antonini Abbatis laudem, primam Dioecesanam Synodum incipimus, eamque hoc ipso temporis momento in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti decernimus incoeptam; ut quaecumque proferantur constitutiones, pro lege sint omnibus,

et singulis de Clero, et Populo nostro. Oramus hinc enixe Spiritum Sanctum, ut supernae claritatis lumine mentes nostras illustret, ut quae recta sunt et agnoscere, et exequi valeamus.

DECRETUM II.

De praeiudicio non inferendo.

Ne qua forte contentio intervertat Synodi pacem, si quem contigerit contra suae dignitatis, gradus, vel officii conditionem incedere, stare, sedere, vocarive, nullam illi inlatam decernimus fraudem, nec quidquam iuris adquisitum, sed omnia eo statu, quo ante convocationem Synodi erant, firma remanere.

DECRETUM III.

De deferendis querelis, et absentium excusatione.

Quum ex veteri Canonum instituto querelae, si quae adferuntur, audiri a Synodo debeant, pro iis excipiendis, cognosceudisque deputamus nostros Vicarios Generales, reservata nobis auctoritate eiusmodi caussas, donec Synodus dimittatur, nobis avocandi. Absentium vero excusationes ad eosdem Vicarios reiicimus.

DECRETUM IV.

De non discedendo.

Omnibus, et singulis, qui Synodi caussa huc convenerunt, ac Synodo vel iure, vel consuetudine interesse tenentur, sub poena excommunicationis mandamus, ne hinc

discedant, antequam Synodus sit legitime dimissa, ac sessionibus omnibus, actionibusque peractis, nisi iusta de caussa quis abeundi veniam a nobis impetraverit.

DECRETUM V.

De publica oratione.

Siquidem publica oratio pro publicis rebus est interponenda, idcirco orationem per hos dies indicimus pro SS. D. N. LEONE, pro Augustissimo Rege N. FRANCISCO, pro Cleri, et Populi spirituali salute, et pro Synodi huius felici successu. Atque ut omnes indulgentiam plenariam, ab eodem Sanctissimo pro hac prima Synodo nostrae Cathedrali Ecclesiae tributam, consequantur, enixas hortamur preces effundi pro pace, et concordia inter Principes Christianos, pro haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione.

DECRETUM VI.

De Synodi Ministris.

Ut in nostra hac Synodo legitime convocata recte omnia dirigantur, Ministros eiusdem statuimus hos.

PROMOTOR SYNODI — Joannes Josephus de Amato *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et Venerabilis Seminarii Compsani Rector.*

THEOLOGUS ILL.mi ET REV.mi DOM. ARCHIEPISCOPI — Antoninus Cervone *Decanus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

JUDICES ET PRAEFECTI SCRUTINII — Leonardus Giaconella *Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et*

Vicarius Generalis Compsanus -- Dominicus Cubicciotti *Thesaurarius Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, et Vicarius Generalis Campaniensis.*

Secretarius Ill.mi et Rev.mi Dom. Archiepiscopi -- Josephus Forlenza *Primicerius Ecclesiae Contursii.*

Secretarius Synodi -- Josephus Antonius Manisera *Canonicus Collegialis Ecclesiae Cajani.*

Notarius Synodi -- Eustachius Villani *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae.*

Magister caeremoniar. Ill.mi et Rev.mi Dom. Archiepiscopi -- Franciscus Giaconella *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae.*

Magister caeremoniarum Synodi -- Romualdus Castagno *Canonicus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Procurator Capituli Compsani in Synodo -- Potitus Miele *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae.*

Procurator Capit. Campan. in Synodo -- Nicolaus Guerrieri *Canonicus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Procurator Cleri Compsani in Synodo -- Franciscus Paulus Renzi *Vicarius Foraneus Ecclesiae Veteris.*

Procurator Cleri Campaniensis -- Vitus Giachetti *Archipresbyter suppressi Capituli Satrianensis.*

Ostiarius Synodi -- Aloysius Magarelli *Sacerdos Praebendatus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Praefecti Hospitiorum -- Vincentius Izzo *Canonicus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis* -- Aloysius Campanino *Canonicus eiusdem Cathedr. Ecclesiae.*

Hinc a Synodi Secretario pronunciatis, promulgatisque de suggestu Concilii Tridentini Decretis de Synodo Dioecesana, de Residentia, et de Fide profitenda, Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopus, genibus ante sedem suam demissis, adsistentibusque Canonicis Diaconis, et Presbytero, suam in hac prima Synodo professus est Fidem

sub breviori forma conceptis verbis: *Ego Mich. Archangelus Lupoli Archiepiscopus Compsanus, Ecclesiae Campaniensis Administrator perpetuus promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo, et iuro ad formam bullae fel. record. Pii Papae IV. singula singulis referendo: Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.* Deinde verba Secretario praeeunte, eamdem Fidei professionem diffuse emiserunt omnes de Synodo, qui et iuramentum in manibus Domini Archiepiscopi tactis Sacrosanctis Evangeliis praestiterunt.

Sed quum ad multum diei progressum esset, Synodi Promotor petiit, acta in tabulas referri, et alteram indici Sessionem. Quod quum Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopus mandaverit, Secretarius decretum huiusmodi recitavit: *Quum adhuc nobis ad rem Ecclesiasticam ordinandam permulta supersint agenda, et tempus instet primae Sessionis finiendae, edicimus, praecipimusque omnibus, quorum interest, ut die crastina V. Kal. maias hora XII. in eumdem hunc locum ad secundam celebrandam Sessionem, Deo iuvante, omnes conveniatis.*

Tum Cantor rubro pluviali indutus, suggestum ascendens, tria Orationis capita in cantu proposuit, cunctis de Clero genuflexis. Mox Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopus Synodo benedixit, et omnes ordine discesserunt.

S E S S I O II.

Habita V. Kal. Maias.

Die postero hora XII. initio rite facto ad Pontificalis Romani praescriptum, gesta haec sunt. Lectum est de suggestu Decretum Tridentinum de Examinatoribus Synodalibus; tum Decretum alterum de Iudicibus, quibus caussae delegandae sunt; et postremo Canones de Testibus Sy-

nodalibus. Quibus recitatis, Synodi Secretarius de mandato Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopi decreta, quae sequuntur promulgavit.

DECRETUM

De Examinatoribus Synodalibus.

Sacrosancti Concilii Tridentini sanctionibus inhaerentes, hos pietate, et doctrina dignos, qui Examinatorum officio fungantur, vobis proponimus, donec altera Synodus habeatur.

EXAMINATORES SYNODALES.

Leonardus Giaconella *Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et Vicarius Generalis Compsanus.*

Dominicus Cubicciotti *Thesaurarius Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, et Vicarius Generalis Campaniensis.*

Jacobus Farese *Cantor Curatus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae.*

Io: Iosephus de Amato *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et Ven. Seminarii Compsani Rector.*

Eustachius Villani *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et in Venerabili Seminario Compsano Sacrae Theologiae Lector.*

Antoninus Cafaro *Archipresbyter Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Antoninus Cervone *Decanus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Iosephus Riccardi *Primicerius Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Thomas Ciao *Canonicus Sacrista Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Antonius del Giorno *Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Vincentius Izzo *Canonicus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Carolus Giachetti *Archidiaconus suppressi Capituli Satrianensis.*

Franciscus Miele *Archipresbyter Collegialis Ecclesiae Andrectae.*

Thomas Morese *Archipresbyter Ecclesiae Contursii.*

Franciscus Antonius Miele *Archipresbyter Ecclesiae Petraepaganae.*

Leonardus Fungaroli *Archipresbyter Ecclesiae Capitis-Sylari.*

Pompeius Cardone *Archipresbyter Ecclesiae Colliani.*

Nicolaus Parisi *Archipresbyter Ecclesiae Pali.*

Cajetanus Guerdile *Archipresbyter Ecclesiae Volcei.*

Nicolaus de Angola *Archipresbyter Ecclesiae S. Andreae.*

Franciscus Antonius Fiore *Archipresbyter Ecclesiae Theorae.*

Michael Grasso *Archipresbyter Ecclesiae Valvae.*

Emmanuel Annicchiarico *Archipresbyter Ecclesiae Castrinovi.*

Vincentius Nicolais *Canonicus Collegialis Ecclesiae Caletri, et Vicarius Foraneus.*

Io: Baptista Lupo *Canonicus Collegialis Ecclesiae Cajani.*

Iosephus Antonius Manisera *Canonicus Collegialis Ecclesiae Cajani.*

Marcus Masini *Primicerius Ecclesiae Petraepaganae.*

Iosephus Basta *Primicerius Ecclesiae Volcei, et Vicarius Foraneus.*

Thomas Cozzarelli *Primicerius Ecclesiae Capitis-Sylari.*

Antonius Corbi *in Venerabili Seminario Compsano humaniorum litterarum Praeceptor.*

Iosephus Forlenza *Primicerius Ecclesiae Contursii.*

Ioannes Gagliardi *in Venerabili Seminario Campaniensi Sacrae Theologiae Lector.*

Dominicus Gizzi *Sacerdos Ecclesiae Colliani.*

Ioannes Soscia *Sacerdos Ecclesiae Petraepaganae.*

Franciscus Antonius Nicastro *Sacerdos Ecclesiae Oliveti.*

Nicolaus Sisto *Cantor Ecclesiae Collegialis Ebolitanae.*

Angelus Maria Tozzi *Congregationis Sanctissimi Redemptoris.*

Iosephus Perretta *Congregationis Sanctissimi Redemptoris.*

Crescentius Caccese *Congregationis Sanctissimi Redemptoris.*

Iosephus del Piano *Superior Congregationis Dioecesanae Missionis Compsanae.*

Fr. Emmanuel a Leonibus *Definitor Generalis Ordinis Reformatorum.*

Fr. Bernardinus a Leonibus *Minister Provincialis Ordinis Reformatorum.*

DECRETUM

De Iudicibus Synodalibus.

Eidem Concilio Tridentino, et Summorum Pontificum Constitutionibus obsequentes, infrascriptos proponimus Iudices, quibus caussae per Sedem Apostolicam delegari possint.

IUDICES SYNODALES.

Leonardus Giaconella *Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et Vicarius Generalis Compsanus.*

Dominicus Cubicciotti *Thesaurarius Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, et Vicarius Generalis Campan.*

Salvator Frieri *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae.*

Ioannes Iosephus de Amato *Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, et Venerabilis Seminarii Compsani Rector.*

Franciscus Maria Maffei *Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Antoninus Cervone *Decanus Cathedralis Ecclesiae Campaniensis.*

Antonius del Giorno *Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiae Campan.*

Leonardus Fungaroli *Archipresbyter Ecclesiae Capitis-Sylari.*

Pompeius Cardone *Archipresbyter Ecclesiae Colliani.*

Iosephus Zuccaro *Archipresbyter Ecclesiae Sancti Mennae.*

DECRETUM

De Testibus Synodalibus.

Canonum lege cautum est, ut spectatae probitatis viri in Synodo eligantur, qui sedulo advertant quae sint in Dioecesi corrigenda, et nobis fideliter significent. Atque horum nomina evulgare noluit Dominus Archiepiscopus, ut liberius agerent, quocirca schedulam tantum, eiusdem Archiepiscopi sigillo obsignatam, qua electi, et designati continebantur, Secretarius Synodo ostendit. Interea Reliquiae Sancti Caroli Borromaei, et Sancti Herberti Archiepiscopi Compsani per Canonicum Vincentium Izzo cum cereis accensis e Sacrario ad Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopum delatae fuerunt: quas quum accepisset,

iussit ad se Examinatores electos venire, qui singuli iusiurandum in haec verba praestiterunt: *Ego N. N. sancte iuro, Examinatoris officium, quod suscipio, fideliter, atque integre, et omni privato studio, atque adfectu posthabito, ex Concilii Tridentini praescripto, exequuturum. Sic me Deus adiuvet, et hae Sanctorum Reliquiae.*

Deinde quum Synodi Promotor institisset pro promulgatione Constitutionum, Illustriss. et Reverendiss. Archiepiscopus, acceptis a suo Vicario Generali Synodalibus Decretis, eadem Canonico Secretario tradidit evulganda, qui suggestum adscendens quamplura Synodi capita recitavit. Verum quum advesperasceret, institissetque Promotor, ut acta in tabulas referrentur, et tertia indiceretur Sessio, Secretarius decretum recitavit, quo omnes ad tertiam celebrandam Sessionem adesse iussi sunt, et Archiepiscopus, data benedictione, Conventum dimisit.

SESSIO III.

Habita IV. Kal. Maias.

Tertia die coepta est Sessio hora XII. et Illustriss. ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, coeremoniis omnibus rite servatis, quum in suo solio sedisset, Synodi Promotor institit pro Synodalium Constitutionum lectione continuanda. Quare Secretarius conscenso suggestu, quae publicanda supererant, decreta recitavit. Verum, quum nec expediri lectio potuerit, Promotore instante, ut quarta Sessio in sequentem diem indiceretur, ita fieri decrevit Archiepiscopus, decretumque recitari iussit: *Quandoquidem angustia temporis urgemur, quominus omnia peragamus, statuamusque, quae ad*

Ecclesiae nostrae utilitatem hac Sancta Synodo agere, ac statuere necesse arbitramur, volumus, ut quarta Sessio crastina die III. Kal. Maias habeatur, et omnibus praecipimus, ut eadem hora, eodemque loco adsint. Ad haec Cantor Orationis capita proposuit, et omnes, accepta benedictione, sueto ordine quisque suum petiit hospitium.

SESSIO IV.

Habita III. Kal. Maias.

Quarta die, quae incidit in Dom. II. post Pascha, cunctis de Synodo in Cathedralem Ecclesiam coactis, Illustriss. et Reverendiss. Pater ac Dominus Archiepiscopus Sollemnia Sacra Pontificali ritu in honorem Beatissimae Virginis Mariae de Bono Consilio celebravit. Mox, servatis omnibus, ut superioribus diebus, Promotor Synodi institit pro lectione eorum, quae reliqua erant; qua expedita, et Secretario rogante, num ea placerent, omnes de Synodo una voce responderunt: *PLACET*. Atque interrogatio isthaec ex indulgentia, et benignitate Domini Archiepiscopi est interposita; Cleri enim consensus, et adprobatio in Synodalibus legibus non requiritur, ut iterum iterumque Sacra Concilii Congregatio decrevit, praesertim in Venet. die 27. Aprilis 1592. in Oriolen. 27. Martii 1632. et in Fulginat. 26. Febr. 1639.

His absolutis, Synodi Promotor postulavit, absentes citari ad dicendam caussam, quam ob rem Edicto non paruerint, et pro culpae gravitate puniri ex Concilii Tridentini praescripto, si eam non probaverint. Tunc qui convenerant nominatim omnes vocati sunt, et singuli obedientiam Illustriss. et Reverendiss. Domino Archiepiscopo praestiterunt. E vestigio Promotor, quum acta omnia in

publicas tabulas referri petiisset, et Archiepiscopus decreta omnia tradi Notario iussisset, Synodus dimissa est, Canonico Secretario de suggestu Decretum pronunciante.

Nos Michael Archangelus Dei, et Apostolicae Sedis gratia Sanctae Compsanae Ecclesiae Archiepiscopus, Campaniensis Ecclesiae Administrator.

Ad Dei Omnipotentis, et Beatissimae Virginis Mariae Matris Dei, et S. Herberti Archiepiscopi Compsani, et Beati Antonini Abbatis laudem, et gloriam, hanc nostram Dioecesanam Synodum denunciamus iam absolutam, et actu dimissam decernimus. Quapropter Fratres, Filiique dilectissimi, potestatem vobis facimus ad propria revertendi. Vos tamen enixe in Domino hortamur, ut ita moribus, et vitae innocentia praelucere populis studeatis, ut ex hac Synodo uberrimum in Domino fructum vos ipsos reportasse omnes intelligant.

Instante hinc Promotore pro rogitu actorum, instrumentum confici iussit Archiepiscopus; et illico gratiis Deo rite actis, Cantor postrema Orationis capita proposuit. Demum ad universam Synodum verba fecit Archiepiscopus, et cunctis genuflexis suam impartitus est benedictionem, et publicatae fuerunt Indulgentiae plenariae per Canonicum Presbyterum adsistentem.

Finis Actorum Dioecesanae Synodi.

O R A T I O

HABITA AB ILLUSTRISS. REVERENDISS. DOMINO

A R C H I E P I S C O P O

VI. KAL. MAIAS INITIO SYNODI.

Quod a Deo Optimo Maximo precati iamdudum eramus, ut afflictis Compsanae, et Campaniensis Ecclesiae rebus succurere dignaretur, id singulari Divinae Misericordiae munere datum, hodierna die videmus, et gratulamur. Quid enim iucundius, optatiusque Pastori contingere poterat, quam una secum omnes videre coactos, quos distributi Gregis custodia, et muneris Sanctitas, et Religionis studium arctissima sibi voluntate devincit? Vel quid profecto utilius, quam eiusdem concrediti Gregis saluti summa animorum consensione, et collatis ultro citroque consiliis prospicere, tutissimamque constituere regulam, qua obliqua omnia dirigantur, vitiosa amputentur, noxia convellantur, et uberrimis, maturisque fructibus Ecclesia Christi reflorescat? Exarsit utique tanto hoc desiderio cor nostrum, ubi primum universam

Dioecesim perlustrantes, eo morum pravitatem, disciplinaeque negligentiam, Sacrumque Dei cultum devenisse perspeximus, ut cuncta fere miserandum in modum deiecta, ac profligata languescere viderentur. Atque iam tum erat animo praeconceptum, eam esse nobis rationem iure optimo ineundam, quae de rebus gravissimis deliberandi fuit Apostolis, qui etsi a Spiritu Sancto edocti, et cumulatissimis sapientiae, et intelligentiae, atque consilii donis ditati, tamen ubi quid maximi momenti esset agendum, nonnisi coniunctis animis id statuere, et decernere consueverunt. Sed turbatis Regni rebus, qui nobis fuisset animus, si qua maxime tempestate super Gregis custodiam excubare vos oportebat, a medio Gregis dimovissemus? Cedendum sane acerbitati temporum fuit! Modo autem quum Sapientissima Dei Providentia factum sit, ut depulsa commoti temporis caligine, interclusum iter, quo animarum periculis prospici posse noveramus, aperiretur, nulla sane nos potior incessit cura, quam ut, Regni rebus compositis, ad Ecclesiae res componendas illico cogitationes omnes, et vires, et labores, et sollicitudines alacri animo converteremus. Videtis igi-

tur, Ven. Fratres, cuius rei gratia vos huc arcessivimus, quave de caussa in hunc augustissimum, Sanctissimumque locum convenimus omnes. Scilicet de re omnium gravissima consultandum est, de Gregis salute, in qua ipsa nostra implicata est salus. Quam sane rem adgressuri, quaeso ne a Deo luminum Patre, a quo omne datum optimum descendit, mentis aciem avertatis, ut quae sunt in Domino deliberanda, in Domino item agamus.

Atque ut ardore quanto maximo ad instaurandum, communiendumque Divinum cultum, et populorum disciplinam deiectam, ac prope intermortuam erigendam, paratum, inflammatumque animum adhibeatis, sinite nos, vel hoc primo orationis limine ante oculos vobis proponere, quae tristi hac aetate malorum lues in mortalium se se infuderit viscera. Profecto incredibile dictu est, quo usque effrenis profligatorum hominum insania devenerit, qui satanae vestigia sectantes, rerumque novandarum avidissimi, omne rectum, omne sanctum pessumdant, conculcant, evertunt, et inhonesta fallaci sermone protrudere non erubescunt. Vidimus nos, vidimus multifor-

mis diaboli aemulatores, utinam non quamplurimos, qui modo leonum instar in impetu truces, ac feroces, modo draconum more in insidiis, et machinamentis latentes, Sanctissima maiorum instituta subvertere, naturae leges convellere, rationis lumen nebulis offuscare, praefracta, imperterritaque fronte contendunt. Et quod indolendum maxime est, veritatem suis vitiis asperam, moribusque inimicam refugitantes, peccandi licentiam pro libertate debacchando proclamant. O putidam libertatem!

Enimvero quo magis magisque nostrae istius aetatis tempora cogitamus, mores animadvertimus, studia consideramus, hoc nobis magis persuademus, illam propemodum belluam nunc temporis dissoluta catena in mundum prorupisse, quam Ioannes e profundo maris enatare in suae mentis excessu conspexit. Execrabile monstrum septenis capitibus, denisque cornibus instructum, versicolori corpore in pardi forma, recurvis unguibus tamquam ursa, et cruento ore, torvoque vultu uti leo, horrificos adeo rugitus edebat, ut nunc in Sanctissimi Dei Nomen, nunc in Sacrum Tabernaculum, Sacrosque ministros execranda maledicta, foedaque verba iactaret. Detestabili monstro

persimiles male morati saeculi nebulones, nonne ista eadem audent infrunito corde, ac turpissimo ore effutire? Quo impio, scelestoque ausu Deus ipse impetitur, et impenetrabilia Divinitatis arcana, saluberrima Ecclesiae Sacramenta, Evangelii praecepta discutiuntur, et quo turpius, eo gravius, vel oppugnantur, vel subsannantur? Qua insania a vitio virtutem non discrepare, et solummodo quaecumque delectant, quaecumque homini prosunt, natura ipsa impellente, licere obtrudunt, et adstruunt? Qua pervivaci calliditate unde unde excogitatis cavillationibus, aeterna bonorum praemia, scelestorumque tormenta perpetua, veluti inania nomina, et fabulosa delirantium somnia iactitando pervulgant?

Inficiandum quidem non est, funestis, teterrimisque haeresum monstris Christi Ecclesiam iterum, saepiusque exagitatam, sed profecto quum unum, vel alterum dogma impeteretur, perditissimorum hominum iniquitas telo Patrum concisa, ac prostrata quievit. Sed nunc, bone Deus! ingravescente mundi senio, non tam aetatis, quam flagitiorum pondere onusti, dum universa in peius retro collabuntur, haud unum, et alterum, in dubium revocatur

dogma, sed in universum prope omnia, novo inauditoque bellandi modo, cachinnis, derisionibus, technis, ac fallaciis exsibilantur, profligantur. Atque quod sane miserandum! quam repente quaquaversum satanica ista pestis pervaserit, quamque immensa in omnem animam importaverit detrimenta, quotusquisque vestrum est, Fratres, qui non ab adsiduitate scelerum pene quotidiana, et incredibili facinorosorum hominum turba non intelligit? Hinc sectae, et factiones, hinc furta, fraudes, calumniae, hinc periuria, scandala, homicidia, lasciviae. Quousque Domine irritabunt adversarii Nomen tuum, et in Ecclesiae agro, tuo Sanguine madido, inimici homines superseminant zizania!

Huiusmodi at coeno illos ipsos haesisse, quorum ex ore legem populi exquirebant, quis crederet? Refugit animus, sed gementes dicimus, in ipsa terra Sanctorum, in Domo ipsa Dei viventis in ovina pelle lupos delitescentes vidisse, qui suae dignitatis prorsus obliti, venenum incauto populo pro pane venditabant. Nimirum quibus datum est splendidissima luce clarescere, istos istos vidimus faces inferas in tenebris praeferre, et praepostera consilia, perversas opiniones suo calculo,

sua praesentia et confirmare, et tueri. Illi, quorum fidei, ac sedulitati praecepta Domini custodienda, et praedicanda enixe erant demandata, veluti ministri Baal, et moribus, et exemplis virtutem de medio tollere sunt commoliti, et oves corrumpere, depravare, ad praerupta ducere, et ferarum dentibus discerpendas exponere non dubitarunt. Adeone Sanctae Ecclesiae obscuratum est aurum! Adeone convenerunt peccatores omnes, ut supra dorsum eius fabricarent? Proh dolor! Scilicet a quibus pia Mater Ecclesia auxilium, et solamen praestolabatur, ab iis ipsis lethaliora vulnera accepit.

Sed si proximius oculos in Gregem omnem coniiciamus, qui luctus, quae lacrymae? Profecto Dioecesim lustrantibus illa se nobis offerre visa est innumerabilis languentium multitudo, coecorum, et surdorum, et claudorum, et aegrotantium, quam Salvator noster expectantem aquae motum invenit. Huc coeci quam multi, quorum alii res Divinas, et ipsa Fidei elementa ignorant, alii qui tetra nocte circumfusi nec viam salutis vident, nec aeternam Caeli gloriam, et interminabiles inferni cruciatus, et horribilia Dei iudicia intuentur. Et o rem vere perluctuosam! ne quum peccant quidem,

peccatum vident. Huc surdi, qui salutis monita aspernantes in coeno vitiorum volutantur; qui festos dies non labore tantum, sed ebrietatibus, et comissationibus, et ludis transigunt; qui diaboli laqueo irretiti iniquissimo foenore indigentes exhauriunt; qui Sacra negligunt, Poenitentiae Sacramento non expiantur, et Divino Pane ne semel quidem in anno reficiuntur. Innumeri claudi, qui torpedine, qua laborant, in carnis mollitie iacent, et in rebus tantum caducis, ac fluxis immobiles consistunt. Mutos quid memorem? Muti sane in Deo laudando, et precando, sed loquacissimi vero in diris, in blasphemiis, in criminationibus, in contumeliis, in detrectationibus; quorum guttur sepulcrum patens est, quorum os maledictione plenum. Et quot iniquis febribus non correpti, qui concupiscentiae caloribus concitati, bibunt quasi aquam iniquitatem omnem, et aestu perciti in deliramenta prorumpunt, suas despumantes confusiones?

Ad hoc triste spectaculum, quo consilio nobis utendum esse existimemus? In montis culmine, quum forte, atra nube disrupta, rapidus subitusque torrens sternit agros, trahit sylvas, et saxa ingentia devolvit, agricola, deiecta arbusta, et

discerpta sata si viderit, quid non agit, quid non tentat impatiens, et irrequietus? Hic taleas oleaginas decidit, et humi depangit: illic vitium malleolos resecat, et terra defigit, ut in novas vites succrescant: ibi novas serere arbores, evulsasque potentibus fulcris erigere conatur: modo agrum lapidibus usque purgat, repurgatque, fossasque aggere complet: modo ramis spinisque intextas reparat sepes. Et terribilem nos tantarum rerum eversionem, quae terrestrem Ierusalem, Sanctissimam Christi Sponsam decoloravit, negligentes adhuc, perinde ac aliena, non nostra depereant, sereno vultu, et pacato corde sustinebimus? Age, age! Ardentissima in animis nostris, Deo dante, incendatur solicitudo; et si super ipsam superborum iniquitatem multiplicata est iniquitas, multiplicetur in nobis etiam illius tuendae, ac vindicandae studium, et ardor. Eia surgamus, anathema cupiamus esse pro Christo, parati animam ipsam pro redemptis ovibus ponere. Patiemurne, veluti muti, et infirmi canes, ut Gregem Christi lupus rapax invadat, dilaniet, devoret, et vineam Domini ferus aper depascatur? Patiemurne incuriosi, ut a veritate ad fabulas abducantur oves, et sanguine earum satietur inimicus? Erigamus

igitur animum in eo, qui omnia potest, exeramus vires, nervos omnes contendamus, quo concredito Gregi consultum iri tutissime possit. Sed nisi nobis ipsis primum prospiciamus, quomodo saluti Gregis consulere umquam possimus? Id nempe postulat, flagitat, urget Apostolus: *Adtendite vobis, et universo Gregi.* Qui enim alienae salutis erimus soliciti, si nostram negligamus? Recogitemus igitur animo quam formidandum sit, quo fungimur, Ministerium, et in quanto versemur periculo, si parem non adferamus cordis puritatem, paremque vitae innocentiam, et sanctitatem. Custodiamus sensus nostros, a noxiis mundi afflatibus caveamus, parce cum filiis saeculi agamus, et uni Deo intenti corda nostra coram ipso effundamus. Vel quid enim sive ad pietatem fovendam aptius, sive ad Ministerii partes implendas tam necessarium, quam supernarum rerum meditatio, per quam in cordibus nostris charitas alitur, et instauratur, veluti perpetuus ille Sanctuarii ignis, cui in dies singulos ligna subministrare iussi erant Sacerdotes?

Sed porro non nostri gratia, sed pro Ecclesia, in opus Ministerii, in aedificationem Sanctorum sumus constituti, et Gregem omni studio,

omni labore, et verbo, et exemplo, et opere pascamus oportet. Verbo pascamus oves, soliciti semper in hoc ministerio diligentiam sollertiamque nostram Deo probare, semina virtutum undique spargentes, quae vitam germinant aeternam, ut Filios Deo gignamus, et Christum in eorum cordibus efformemus. Id egit ipse Filius Dei in diebus carnis suae, id Apostoli egerunt, agamus id et nos. Suscipiamus parvulos ea charitate; qua eos Divinus Praeceptor amplexabatur, doceamus rudes, et ignaros ea sedulitate, ac patientia, qua ille turbas, et suos etiam Apostolos erudiebat. Os Evangelio consecravimus, et Evangelii verbo adtendamus, insistamus. Qui enim vitam, et sanguinem pro ovium salute profudit, ipse nos iussit deperdita requirere, confracta adligare, consolidare infirma, pinguia, et fortia custodire; ipse praecepit nobis, ut perpetuo clamemus, et quasi tuba exaltemus vocem, et annuntiemus populo peccata eorum; et ipse nos urget, ut in omni patientia, et doctrina alios arguamus, obsecremus alios, alios increpemus. Seramus itaque, Fratres, verbum vitae, ut vitae fructus germinent in Grege, agrum Domini colamus, et nunc serendo, nunc plantando, nunc rigando numquam

a laboribus desistamus, nam prope est Deus, ut potestate, et gratia incrementa suppeditet.

Sed per vitam vestram, obsecramus vos, qui iste sermo noster erit, cuius virtutis, cuius roboris, si et vitae ratio quanta, quanta est, non cum sermone consentiat? Profecto inanis, et vacuus ad nos revertetur, et utinam non cum magna iactura, et detrimento, quandoquidem extra omnem dubitationis aleam est, plus opere nocere, quam verbo prodesse, qui aliud docet, et aliud agit. Nec facile credamus, ullam vitii labem in nobis latere posse, aut populi aciem effugere. Sublimi in loco constituti sumus, omniumque oculi in nos coniecti sunt, in nos intenti; nec, si quod nobis inhaereat vitium, celari magis potest, quam Civitatis supra montem positae desolatio, aut extinctae lucernae fumus super candelabrum positae. Rectorum mores, actusque singuli publico iudicio sistuntur, et quum plurima recte, sancteque facta neglectu quodam reticeantur, si quid vel etiam minimum occurrat reprehensione dignum, statim in ore omnium fertur, censuramque multitudinis subit. Caute ergo ambulemus, et ab omni specie mali abstineamus, ne qui reprehendere volunt, iure lacerasse videantur. Quod

si eam virtutis formam, quam verbis proponimus, optimis etiam vitae exemplis exhiberemus, qui quantusque non constaret honos Sacerdotio, quae tunc esset universi populi pietas, quae religio, quae sanctitas, quam mirifice floreret Ecclesia!

Nec vero existimemus muneris nostri partes omnes implesse, si verbo tantum, et exemplo contenti, cetera negligamus, quae summa, et gravissima sunt; quoniam si rem omnem ita spectamus, ut sane debemus, opus ministerii perfecisse certe non videbimur, nisi omni summo studio ad ministerii consummationem contendamus. Operam igitur nostram Domino Gregis in omnibus probemus oportet, ut integra illi nostri officii constet ratio, parati pro ovium incolumitate quemvis suscipere laborem, vigilias agere, subire omnes casus, omnem vim, ac iniuriam perferre. Atque in hoc charitatem vestram obsecramus, Fratres, atque per viscera Iesu Christi Domini nostri obtestamur, ne securi dormiatis. Nonne videtis, quomodo rugiens leo circuit ovile Christi? Et quid erit de grege, nisi excubemus animo, et vigilias super eum custodiamus? Agite, agite ergo, vos brachia nostra, et os nostrum, comministri, et commilitones nostri! Eia infirmitatem nostram, mul-

tiplicatis omnium vestrum auxiliis, in Domino sustinete. Inclamitate usquequaque, et ne ullo terreamini periculo, occurrite irruentibus, rapientibus obsistite, discutite tenebras morum, errorumque, convellite vitiorum zizania, pericula animarum propulsate. Sunt oves per deserta errantes, palantesque, sunt quae noxia petunt pascua, ac putida fluenta, has inquiramus inquieta prorsus solicitudine, et in ovile reducamus. Sunt quae extabescunt, quae variis conflictantur morbis, his apta adhibeamus remedia, et si blanda minus prodesse animadvertimus, acriora tentemus. Impendamus pro grege Christi curas, vigilias, labores, anxietates, preces, suspiria, gemitus, omnia nostra impendamus, illud menti perpetuo revolventes, instare tremendum diem, quo Aeternus Pastor crediti nobis Gregis severus exactor, oves suas de manibus nostris requiret, et nisi animarum lucra, et nostrae procurationis fructus exhibeamus, quid miseri Divino Iudici respondebimus? Animam pro anima spopondimus, et promissa, quod Deus avertat, incuriose non solvimus? Fili, Divina nos admonet Sapientia, *spopondisti*, *illaqueatus es verbis oris tui*; *discurre*, *festina*, *suscita amicum tuum*, *ne dederis*

somnum oculis tuis, *nec dormitent palpebrae tuae*. Festinemus igitur, Fratres, et veluti acie facta pugnam Domini in Domino fortiter pugnemus, capiamus arma orationis, et lorica fidei induti ovile Christi discurramus, dormientes suscitemus, muniamus stationes, castra vallemus, transversis cuniculis satanicos cuniculos excipiamus, et inde salutaris poenitentia incipiet, unde lethalis erupit impudentia. Caelestis Pater, qui proprio Filio suo non pepercit, illumque pro nobis omnibus tradidit: Unigenitus Filius, qui semetipsum exinanivit, et nostras in se tulit iniquitates: Paraclitus Spiritus, qui rore gratiae suae nos sanctificat: Ipse in hac Sacratissima Synodo, actus nostros suo lumine dirigat. Cui sit Benedictio, et Gloria, et Imperium in saecula aeterna.

FINIS.

CONSTITUTIONES

ET

DECRETA

DIOECESANAE SYNODI COMPSANAE ET CAMPANIENSIS

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

M. ARCHANGELO LUPOLI

ARCHIEPISCOPO

CELEBRATAE ANNO DOMINI MDCCCXXVII.

In nomine Sanctissimae, atque Individuae, Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Nos Michael Archangelus Lupoli, Miseratione Divina, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Compsanus. Campaniensis Ecclesiae Administrator perpetuus. Ad Dei Omnipotentis, ac Deiparae semper Virginis Mariae, Beatorumque Patronorum Herberti Archiepiscopi Compsani, et Antonini Abbatis laudem, exoptantes pastorali sollicitudine universum Gregem, nostrae fidei Dominica dispensatione concreditum, salutaribus imbuere docu-

mentis, collapsamque Ecclesiasticam disciplinam instaurare, haec, quae in praesenti nostra Dioecesana Synodo, maturo consilio sunt deliberata, perpetua sanctione STATVIMVS, DECERNIMVS, PUBLICAMVS.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

DE FIDE ET FIDEI PROFESSIONE.

Pastoralis officii nostri in eo vertitur cardo, ut Sanctissimum Fidei depositum, a Deo nobis traditum, integrum inviolatumque servare, et custodire satagamus. Quamvis autem singulari Dei beneficio summam esse in utraque Dioecesi nostra Catholicae Fidei venerationem pro certo, exploratoque habeamus; committere id tamen nefas putamus, ut Synodi hujus actio non a Fide, quae est Religionis fundamentum, inchoetur.

I. De Mysteriis Fidei publice, vel privatim disputare laicis hominibus interdictum prorsus volumus. Qui contra fecerit, excommunicatione plectetur.

II. Impia dogmata, et damnatas Summorum Pontificum judicio propositiones, doctrinasque erroneas, temerarias, suspectas, et a Fide discre-

pantes praedicare, docere, proponere, tueri, nemo statutis a lege poenis audeat.

III. Speculatores Domui Israel constituti, ne oves, fidei et sollicitudini nostrae divinitus creditae, quid detrimenti patiantur, animarum Rectores per viscera Domini Nostri vehementer obsecramus, et obtestamur, ut in ea perenni perpetuaque vigilia versentur, ne ulla in Dioecesim nostram diaboli fraus latenter irrepat. In ea enim luctuosa incidimus saecula, in quibus ab inferorum latebris multi prodierunt vana et impia effutientes, ut deceptis per inanes fallacias Fidelibus, et ab Ecclesiae sinu abstractis, Ecclesiam ipsam non vexare tantum, sed labefactare, ac evertere possent. Qui ut gentem in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius congregarent, et in coniurationis, facinorumque suorum societatem impio fraternitatis vinculo, impio iureiurando, impiis caeremoniis pertraherent, occulta conventicula, clandestinasque sectas coegerunt, novam novo ingenio, novisque opinionibus inducentes religionem, et nova mysteria, nova dogmata, nova morum nefaria praecepta procudentes.

IV. Vt autem non ipsa tantum contagio, sed et contagionis etiam periculum a Grege nostro propellatur, volumus ut ubi Parochi aliquem animadverterint, resciverintque intra Paroeciae suae fines, sive incola, sive peregrinus, vel advena is fuerit, fecisse quid, vel dixisse, unde vel levis

suspicio haereticae pravitatis, aut sectae cujuscumque, et declinantis aberrantisque a Catholica Fide animi oriatur, eius nomen ad nos sine ulla mora confestim deferant.

V. Compertum vero, cognitumque habeant fideles, se quemadmodum omnes ad communes excubias contra veritatis hostes teneri, ita ad hanc denunciationem aeque omnes obstringi, quam si quis vel recusaverit, vel neglexerit, sciat se poena excommunicationis latae sententiae involutum. In re enim, quae omnium salutem adtingit, non satis videtur assensione non foedari, nisi silentii crimen evitetur.

VI. Atque Parochi non id solum videant, ne quis pravae opinionis suspicionem praebeat, sed ad illa quoque animum advertant, quae suspicioni proxima videntur. Nimirum qui festis diebus interesse Sacris detrectent; qui Divinas res, et sacros Ecclesiae ritus irrideant, vel contemnant; qui Sacerdotium despicatui habeant; qui Ecclesiasticae auctoritati obsistant, et refragentur; qui excommunicationis poenam spernant; quorum quidem omnium nomen deferri ad nos iubemus, ut quas mereri videbuntur, poenas ab illis repetamus.

VII. Satanica ista labes, quominus in nostram Dioecesim insinuetur, nihil non intentatum relinquant Parochi, inclamentque continuo, clandestinas istas scholas, conventus, societates, adgregationesque, sive masonicas, sive carbonarias, sive quo-

cumque alio nomine adpellatas, ceu a Fide alienas, proscriptas, vetitas, damnatas esse (1). Atque ut intime Fideles percipiant, quanto horrore huiusmodi diaboli synagogae sint habendae, non desinant S. Cypriani verba libro *de Vnit. Eccl.* usurpare, et urgere: *Non perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam nonpotest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.*

VIII. Pernicies altera, quae fidelium animis interitum minatur, ex foeditate librorum erumpit. Quamobrem Nos pro pastorali officio, quo fungimur, ut Dioecesim nostram ab exitiosa hac peste integram, incolumemque servemus, excommunicationis poena ipso facto teneri decernimus, qui libros Catholicae Fidei rationi non dubie adversantes, et ab Apostolica Sede damnatos, vel quorum studio corrumpi disciplinam morum compertum est, nulla sibi facta potestate, legere, evulgare, retinere audent. Manu scripta autem opuscula, commentarii, disputationes, aliaque hoc genus, quae quocunque nomine, tituloque ferantur, etiam si non expresse a Romana Sede proscripta, et vetita, qui retinent, evulgantque,

---

(1) Const. Sanctissimi D. N. Leonis XII. *Quo graviora.* Romae III. Idus Martias MDCCCXXVI. qua Clementis XII. Benedicti XIV. et Pii VII. Costitutiones comfirnantur. Habes ad Synodi calcem.

pari noxa coercitos volumus, nisi a Nobis recognita sint, atque adprobata.

IX. Caveant quapropter Parochi, ne qui in Paroeciae fines importentur libri, vel venales circumferantur, exponanturque, nisi eorum index ad Nos ante fuerit delatus, ut omnis pesti aditus obstruatur. Quod si damnatos improbatosque libros deprehenderint, et qui eos habent, sponsionem facere recusent, ut ad certum diem se Nobis sistant, ad Ministros publicos rem illico deferant, ut iustas ab illis poenas reposcant. Ad haec vigilent, ne heredes, vel testamentorum executores libris a defuncto relictis utantur, aliisque utendos tradant, vendant, commodent antequam eorum saltem indicem Nobis adtulerint, facultatemque impetraverint: modo manifesta res non sit, eius generis esse libros, ut legi libere ab omnibus possint.

X. Famosos libellos, quos flagitiosa impudentia ad mores dehonestandos invexit, et ex quibus peccata, et scelera, et innumera mala exoriri solent, ut comprimamus, et a Dioecesis nostrae finibus ablegemus, sancimus eos, qui in vesanam istam licentiam, foeditatemque proiecti hoc genus libellos, chartasque procudere, edere, evulgare ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam subire, a qua nemo per quemquam possit, nisi per Nos extricari.

XI. Quae de Divinis rebus, et de quavis alia

disciplina problemata, vel axiomata, sive exercitationis gratia, sive quo alio disserendi modo proponi, agitarique publice solent, ea non ante proponi iubemus, quam a Nobis, vel ab iis, quos ei rei praefecerimus, perspectum fuerit, nihil in iis subesse, quod a doctrina Fidei, et a Christiana pietate vel parumper abhorreat.

XII. Porro quum non satis sit corde solum Fidem teneri, nisi ore etiam confiteatur, praecipimus, ut Fidei professionem coram Nobis, aut Vicario nostro Generali emittant qui Synodo non interfuerunt, et quidem intra duos ab eiusdem promulgatione menses; tum qui ad curam animarum, vel ad aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum, vel ad Dei verbum praedicandum, sacrasque confessiones audiendas a nobis adsciscuntur, et ii praeterea omnes, qui ex Sacrosancti Concilii Tridentini praescripto ad formam constitutionis Pii IIII. eodem obligantur sacramento (1). Canonicatus vero, ac Dignitates in Cathedrali nostra Ecclesia qui consequuntur, meminerint debito huic intra duos a die adeptae possessionis menses satisfacere, quod temporis intervallum eisdem est a Concilio statutum ad ipsam in Capitulo repetendam.

XIII. Quoad eos vero, qui ad litteras, liberalesque artes, ac disciplinas quovis nomine, vel

(1) Conc. Trid. *Sess. XXIV. de Reform. Cap. XII.* Pius IV. Constit. LXXXIX. *Iniunctum nobis.*

publice, vel privatim tradendas animum adiiciunt, ab iis omnibus, et singulis, quiqui sint, sive saeculares, sive regulares, vel clerici, vel laici, neutiquam patiantur Parochi id suscipi munus, aut iam susceptum exerceri, si scripto Archiepiscopi testimonio quisque non ostendat, se Fidei professionem praestitisse. Quam rem si ita testatam non fecerit, illi eo munere interdicant, et si non paruerit, ad Archiepiscopum deferant.

XIV. Singularis codex in Archiepiscopali tabulario habeatur, in quem eos omnes et singulos, tum qui Fidei professionem in hac sancta Synodo praestiterunt, tum qui post inde praestabunt, Metropolitanae nostrae Curiae Compsanae, et Campaniensis Cancellariae Notarius ordine referat; cui quilibet suum omnino subscribat nomen, ut de emissa semel Fidei professione certo constet.

CAPUT II.

De magicis artibus. De superstitionibus. De blasphemiis.

Qui suum in tenebris tenet principatum, et in synagoga draconum dracones diudicat, cohortem suam non in abysso tantum, sed in mundo etiam habet, perditissimos homines, qui veneno falsitatis armati, nullis non artibus incautos in aeternae damnationis barathrum deturbare conan-

tur. Adversus hos, ut sua stet Fidei integritas, et animabus pretioso Christi sanguine redemptis nullum importetur exitium, pastoralem virgam quiescere non patimur.

I. Quicumque, quocumque modo, pactiones, foederaque cum daemonibus ineunt, et magicis artibus certos inferre, vel amoliri morbos, mentes avertere, formas immutare, armorum ictus detinere, tempestates sedare, vel ciere se posse iactitant, ut omnino a nostrae Dioecesis finibus exterminentur, mandamus Parochis, ut ubi hanc hominum pestem deprehenderint, eorum nomina ad nos illico deferant, quo improbos, nefariosque huiusmodi ausus poenae severitate compescamus.

II. Pari modo, qui Divinae Providentiae ordinationes, suo tempore revelandas, praevenire nequiter satagentes, ex siderum positu, cursuque, et temporum, momentorumque vanissima notatione, futuros rerum eventus, hominumque status, vices, ac prosperos, adversosque casus praecognoscere, divinare, et ad fati necessitatem referre temerario ausu praesumunt; qui diabolicos characteres, circulosque describunt, et annulos, specula, phialasque fabricant, ad alligandum in iis daemonem, et responsa inde ab eo habenda, repetendaque; qui tenebricosas potestates invocant, aut consulunt, easque ad occulta scrutanda vel ad abditos detegendos thesauros, vel ad indigna quaevis facinora perpetranda, precibus,

suffumigationibus, luminibus, obsequio prosequuntur; qui Sacramentis demum, sacrisque rebus ad incantamenta, praestigia, ac veneficia abutuntur; Eos omnes, diaboli ministros, qui dolis fraudibusque miseros homines laqueo damnationis involvere enituntur, nobis Parochi denuncient, ut Satanicis eorum retectis, graviterque punitis fallaciis, ac technis, Religionis integritati, animarumque saluti prospiciamus.

III. Atque neque istis tantum, sed et istis, qui huiusmodi deceptores consulunt, vel aliis consulendi auctores, suasoresque sunt, et vere hisce daemoniacis artibus fidem praestant, graves arbitrio nostro indicimus poenas, maxime si responsis, consiliisque acceptis obtemperaverint. Moneant autem Parochi populum, quam impium sit per impia ista deliramenta diabolo omnis mali auctori adhaerere, et a Deo bonorum omnium fonte recedere, cuius Maiestati uti summam inferunt iniuriam, ita sibi horrenda consciscunt mala.

IV. Strigas praeterea, quae improba item cum daemonibus pacisci solent foedera ad corpora mentesque fascinandas, anathematis vinculo constrictas teneri decernimus, ac declaramus, a qua solvi neutiquam possint, nisi a nobis; qua eadem proposita poena omnibus mandamus, ut quicumque aliquam in dioecesi nostra strigem huiusmodi resciverit, eius ad nos deferat nomen.

V. Non minori cura excubare Parochis opor-

tet in superstitionibus eradicandis, quas vel simplicitas, vel dolus invexit. Si quid igitur eiusmodi labis Fidelium animis adhaesisse animadverterint, rem nobiscum communicare quam primum curent, ut opportune consulamus, ne quid detrimenti Religio patiatur. Quod si, quem de Clero, sui status prope oblitum, abominando, detestandoque crimine isto contaminari deprehenderimus, praeter alias poenas, fructibus Ecclesiae privatum in correctionis domum detrudemus.

VI. Ab execrandis hisce flagitiis expediti ad alteram satanicam nequitiam invadendam accedimus, ad blasphemandi nempe scelus, quo ira Dei iuste, maximeque incenditur, et concitatur. Nihil enim ea iniquitate iniquius vel dari, vel cogitari umquam potest, quam Deum ipsum Conditorem, Redemptoremque, cui nulla humana vox laudando, benedicendoque sufficit, maledictis, et conviciis appetere, et lacessere.

VII. Quamobrem per Christi Domini viscera animarum Curatores, concionatoresque rogamus, ut concitato zelo in isto impietatis vitio exagitando, divexandoque incumbant; atque parentibus, et dominis, quam terribile immineat iudicium denuncient, si filios, et famulos blasphemantes, Deumque inhonorantes, non modo non corripiant, et castigent, sed aut pravo exemplo instruant, aut in occasionem, per ultimum facinus, ipsi eos pertrahant, inducantque.

VIII. Qui qui igitur hoc se flagitio obstrinxerit, et coram pluribus supra quatuor sacrilego ore, et indignis, insolentibusque verbis Dei, et Domini nostri Iesu Christi, aut Beatissimae Virginis Mariae nomen usurpare, vel palam et expresse blasphemare ausus fuerit, Confessoribus nostrae Dioecesis interdicimus, ne illum a tam impio, et nefario peccato liberent, cuius nobis absolutionem reservamus. Praeterquam quod, si blasphema verba, quae protulerit, haeresim sapiant manifestam, omnino nobis eum volumus esse denunciandum (1).

IX. Saeculares autem magistratus vehementer in Domino hortamur, et obsecramus, ut severitate quanta maxima in perditos, sceleratosque istos homines animadvertant, qui sive animi pravitate, sive nefaria consuetudine eo se abripi sinunt, ut procaci lingua in ipsum invehi Creatorem non vereantur. Praeter enim multam magnamque mercedem, quam a Deo ipso recipient, norint ex Constitutione Leonis X. Pontificis maximi, non tantum se, quoties blasphemos statutis a iure paenis ulciscentur, sed eos etiam qui sacrilegum id crimen ad Iudicem deferunt, decem annorum indulgentia donari (2).

---

(1) Concil. Lateran. V. Sess. 9. Iulius III. Const. XXIII. *In multis.* Leo X. Const. VII. *Supernae.* Pius V. Const. V. *Cum primum.*

(2) Leo X. Constit. cit.

X. Si de Clero quis, maxime si Sacerdos fuerit, et per indignum prorsus, horrendumque facinus ad Divinum Nomen blasphemandum efferatur, hic ubi tanti criminis reus erit delatus, primo quidem fructibus unius anni beneficiorum, quae obtinet, mulctabitur; secundo beneficiis ipsis exuetur, et ab Ecclesia arcebitur; et si nullo gaudeat beneficio, in domum correctionis loco carceris coniicietur.

XI. Quum vero non Deo tantum, ac Dei Filio Domino nostro Iesu Christo, Virginique Sanctissimae Dei Matri maledicere ingens sit piaculum; sed in caelestes Angelos, et Sanctos etiam improba, et contumeliosa iactare verba impium sit; si quis ex consuetudine, et coram pluribus eo devenerit, severissimas pro loci, personae, atque iterati criminis ratione arbitratu nostro luet poenas.

CAPUT III.

De Doctrina Christiana.

I. Serio videant animarum Curatores gravissimum hoc sibi incumbere onus, ut plebem Christianam in rebus Fidei probe instituant, ac pueros praesertim, quae scire Christianum hominem decet, edoceant, ut cum ipsa aetate etiam Religio, ac pietas, et Religionis ac pietatis disciplina in iis adolescat.

II. Singulis Dominicis, ac festis diebus, edito

post vespertinas preces campanae signo, ipsi per se, nisi legitimo impedimento detenti, Cruce praeeunte, Parochiae loca magis populosa circumeant, et pueros congregare, ac manu veluti ad Ecclesiam ducere connitantur.

III. Dispertiantur illinc pueri, hinc puellae seorsum in varias classes, ut aptum cujusque aetati, et ingenio, caelestis doctrinae pabulum distribuatur. Porro semihorae intervallo Fidei rudimenta, ac praecepta, et quidquid ad aeternam gloriam consequendam credere, et agere oportet, studeant cum omni charitate, et patientia perspicue, et enucleate ipsis exponere. Confidimus autem in Domino, numquam Archipresbyteros nostros commissuros, ut in tam gravi negotio eorum desideretur diligentia. Quod si tertia, vel ad summum quarta per annum vice, hanc officii sui partem quis intermittat, praeter districtum Dei iudicium, quod ipsi denunciamus, Oeconomi etiam adsignationem patietur, qui sibi parochialia arrogabit emolumenta.

IV. In huiusmodi autem Fidei principiis edocendis, explicandisque unam eamdemque servari methodum volumus, ut et facilius ea perdiscant pueri, et adsuescant uno ore Deum honorificare. Quocirca, quem tradidimus Ecclesiae nostrae institutionis libellum, typis editum Debonianis, is perpetuo, ac fideliter ubique adhibeatur.

V. Quum Quadragesimae tempus frequentioribus pietatis operibus honorari oporteat, a prima

Dominica, usque ad Palmarum Dominicam singulis diebus, hora, quae magis opportuna videbitur, convocetur populus ad doctrinam, eo prorsus modo, quo a nobis est paullo supra mandatum. Insistant autem tunc maxime, ut pueri, et adolescentes omni adcuratione erudiantur de iis, quae ad Poenitentiae, atque Eucharistiae Sacramenta rite suscipienda pertinent, ut digni reperiantur, qui Sacram Communionem cum fructu percipiant.

VI. Iam vero ut adultis, et senibus consulatur, qui ad puerorum classes accedere erubescunt, ac tamen in maxima rerum Divinarum ignoratione versantur, partes Parochi erunt, absoluta puerorum institutione, universo populo eadem ipsa, quae tradidit, doctrinae capita, ampliori sermone explicare.

VII. Ac ut modis omnibus populi negligentia in Divinarum rerum cognitione vincatur, qui primam Missam in Parochialibus Ecclesiis celebrant, lecto iam Evangelio, tabellam piae exercitationis, quam nostrae Dioecesi iamdudum typis vulgatam, proposuimus, populo repetente, recitent, ut qui ad Sacrosanctum Sacrificium conveniunt, Christianae Religionis excipiant rudimenta. Quod acque ab iis, qui Sacris operantur in cæteris Ecclesiis, Sacellis, et Oratoriis sive urbanis, sive campestribus fieri praecipimus sub poena suspensionis.

VIII. Inquirant porro animarum Curatores quam diligentissime, an ii, qui foedus coniugii inire volunt, probe calleant quae ad Fidem spectant, nec celebrandum matrimonium populo denuncient, nisi examine instituto, in rebus Fidei edoctos reperierint.

IX. Sedulo item scrutentur Confessarii, an rudes ad confessionem accedentes, Fidei capita explicite, et intelligenter sciant. Ignaris, quos invenerint, absolutionem differant, aut omnino denegent, si erudiri detrectent. Item a parentibus, et dominis perquirant, num filios, ac famulos in doctrina Christiana instruendos curent; et negligentes acrioribus verbis corripiant, iniuncta pro culpae modo poenitentia.

X. Concionatores praeterea, statis praedicationis temporibus, Fideles urgeant, incitentque, maximeque eos, qui familias regunt, ut proprii debiti memores, domesticos, quibus praesunt, in Fide erudiant, vel erudiendos ad Parochialem Ecclesiam omnino deducant, modo paratam Divinam ultionem effugere velint.

XI. Pari studio ludimagistri, semel saltem in hebdomada, statuto die Christianae doctrinae praecepta in Scholis suis explanare ne praetermittant, ex decreto Concilii Lateranensis sub Leone X., cuius observantiam omnino praecipimus.

XII. Sacerdotes, quos in curae adiutorium adscivit Ecclesia, et in bonorum suorum partem

ad opus Ministerii recepit (1), minorum item maiorumque Ordinum Clerici, singulis Dominicis constituta hora Parocciis adsint, ut tradendae Doctrinae operam navent. Participantes si per mensem defuerint, tertia fructuum parte multatos se sciant; qui adhuc in participationem adsciti non sunt, numquam sine ea testificatione posthac arcessentur; ceteri ab altioribus Ordinibus reiciientur.

XIII. Ex minori Clero tamen, qui nondum annum vicesimum adtigerunt, non adsumantur, nisi ad docendum tantummodo Fidei Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi, et Ecclesiae, ac cetera quae memoriter pueri, puellaeque ediscere solent. Qui vero provectiores sunt aetate, et a Parochis penso sustinendo pares reputantur, sensum, et vim doctrinae, maiestatemque mysteriorum Dei declarent, captui audientium se se adcommodantes.

XIV. Omnibus denique mandamus, sive animarum Rectoribus, sive Concionatoribus, sive Confessariis, ut quam frequenter adolescentibus debitum ante oculos ponant, quo singuli Christiani ad eliciendos saepe actus Fidei, Spei, et Charitatis

---

(1) Decret. Praedecessoris nostri Alphonsi Cardinalis Gesualdi Archiepiscopi Compsani; cui magnum pondus novissime accessit ex Apostolico Brevi SS. D. N. Pii VII. die xii. Augusti MDCCCIX. *Impensa.*

obstringuntur, tradantque illorum formulam, eisdem semper verbis, ne puerorum memoria variatione turbetur.

CAPUT IIII.

De Verbi Dei Praedicatione.

Quum electione sua omnino gratuita nos Deus constituerit Pastores, ac Doctores in Ecclesia ad perfectionem Sanctorum, et ad aedificationem Corporis Christi, ea maxima omnium intelligimus solicitudine urgeri, ut Evangelicae praedicationis opus prosequamur, in quo ipse primus laboravit Salvator Noster. Haec est igitur Missio Nostra, Evangelium adnunciare, et errorum tenebras verbo veritatis depellere, ut qua via primum Fides penetravit in mundum, ea ipsa augeatur, et amplificetur. Sane Nos, quibus pascendi Gregis mandata est cura, quemadmodum ponderoso huic officio numquam deerimus, ita omni nostra opera, diligentia, adsiduitate efficiamus oportet, ut eius quoque dispensationis partes fideliter impleant secundi ordinis Pastores.

II. Quamobrem Parochis omnibus severe praecipimus, ut plebem Christianam verbo vitae pascant, et singulis saltem Dominicis, Festisque diebus, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, gravem, sed facilem sermonem ad populum habeant,

quo ad Christianae disciplinae studium adprime incendatur, atque a vitiis avocetur. Si quis id per se agere, absque legitima caussa, praetermiserit, noverit se poenis a Concilio Tridentino statutis obnoxium (1).

III. Ut autem verbi pabulum omnino incorruptum, ac salubre oves nostrae recipiant, edicimus, ne quis sive saecularis, sive regularis de Divinis rebus conciones in nostra dioecesi ad populum habeat, non impetrata a Nobis facultate, sine qua numquam patiantur Parochi quemquam concionari (2). Regulares vero ne in Ecclesiis quidem, vel Oratoriis suorum Ordinum, ubi intersunt saeculares, sive de suggestu, sive de plano sacras Orationes audeant habere, nisi Fidei professione apud nos edita, veniam, Benedictionemque Nostram acceperint, ad formam Constitutionis Clementis X. *Superna*, quam adamussim in omnibus observabunt.

IV. Eo, ubi Dei verbum sunt disseminaturi, ut primum accesserint Concionatores, pervestigare a Parocho satagant, quae ibi invaleant pravitates, et corruptelae, quaeve potissimum vitia corrigenda videantur, ut in ea praefocanda vim omnem orationis, atque eloquentiae intendant, ita

(1) Concil. Trident. *Sess. V. de Reform. c. 4.*
(2) Leo X. in Conc. Later. *Sess. II.* Conc. Trid. *Sess 5. de Reform. cap.* 2. et *Sess.* 24. *cap.* 4. Greg. XV. *Const. XVIII. Inscrutabili.* Clem. X. *cit. Const. I.* Superna.

tamen, ut non personae, sed vitia ipsa exagitari, reprehendique intelligantur.

V. Atque hortàtore profecto non indigebunt ad multitudinis, et populi vitia exploranda, quae prolixa vituperatione reprehendantur. Continuo hinc, ac pro re nata in blasphemos invehantur; in dierum festorum contemptores; in eos, qui immodeste versantur in Ecclesiis; in lusores, aleatores, periuros, criminatores; in molles, et flagitiosis libidinibus implexos, quae mala, summopere adlaborabunt, ut radicitus evellantur, atque evulsa ita extinguantur, ut renasci, renovarique amplius nequeant.

VI. Praedicatores autem, quotquot in messem Domini a Nobis mitti contigerit, in Christi visceribus hortamur, atque obsecramus, ut seipsos fidelibus praebeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; ut Iesum Christum, et hunc Crucifixum praedicent, non semetipsos; ut orationis genere utantur ornato quidem, sed minime fucato, et inani; ut quam tradituri sunt doctrinam ex Sacrarum Litterarum fontibus hauriant, cui Sanctorum Patrum sententiae suffragentur; ut haereticorum argumenta ad imperitam multitudinem referre omnino abstineant; ut explicatu difficiles quaestiones declinent; ut miracula nisi adprime certa ne narrent: neque enim falsorum narratione fidei veritas indiget; ut fabulas, risus, et inania quaeque Concionibus ne inter-

serant: dedecet enim de rebus gravissimis dicentem in his versari; ut Cleri mores ne publice vellicent ad vulgi gratiam aucupandam, immo populum praepositis suis parere, in iisque non mores, sed dignitatem spectare doceant. Studeant cohortationibus cuiusque statum complecti, ut filiis obsequium, parentibus charitatem praecipiant; servos de fide in dominos, dominos de humanitate in servos admoneant; uxoribus obedientiam, et amorem in viros; viris parem animi benignitatem commendent; senes ut exemplo sint iuvenibus; iuvenes ut observantiam senibus tribuant.

VII. Si quis praedicationis ministerium minus recte obierit, vel mores praetulerit eius sanctitati minime congruentes, Parochus, cuius conscientiae id oneris imponimus, rem illico Nobis denuntiet, ut in eum, suspensione in praesenti, et in futurum interdictione animadvertamus.

VII. Quo tempore concio ad populum habetur, nemo Sacrum faciat, nemo Confessionibus excipiendis vacet, curentque Parochi, ut ab Ecclesiae foribus, vestibuloque concursationes, nundinae, negotiationes, et clamores omnino arceantur, implorato, si opus fuerit, saecularis magistratus auxilio. Noctu autem nullae prorsus habeantur conciones, sed clara die initium sortiantur, et finem.

VIII. Dignitates, Canonici, et Hebdomadarii Cathedralis Ecclesiae, Quadragesimae potissimum, et Adventus tempore Sacris Concionibus intersint

in habitu chorali, secus distributionibus diei priventur. Quod idem in Parochialibus, Collegiatisve Ecclesiis a Sacerdotibus, et Clericis perinde actum volumus, ut suo exemplo populum doceant, qua adsiduitate, quo cultu, qua modestia, verbum Dei sit excipiendum.

IX. Verbi Dei praeconibus haec Synodi decreta Parochi legenda tradant, atque exacto praedicationis cursu, sedulo ad Nos referant, an amussim cuncta ipsi praestiterint. Ex adverso Concionatores, si quid auctoritate nostra emendandum cognoverint, quasi rationem pro omnibus, quibus Verbum Dei annuntiaverunt, reddituri, nobiscum id e vestigio communicent.

CAPUT. V.

De Cultu Sanctorum.

Etsi Christianae pietatis semina omnia e fidelium cordibus impio ausu evellere conati sint fidei hostes; in eo tamen virus omne acerbitatis suae, rabiemque, insaniamque profudisse nemo ignorat, ut Sanctorum cultum, venerationemque de medio tollerent. Impense igitur Christianam plebem edoceant Parochi, nos in Sanctis, qui sempiterna felicitate in caelo fruuntur, nonnisi unum, summum, verumque Deum venerari, nec vota precesque nostras alio tendere, quam ut Conciliatores, Deprecatoresque illi se pro nobis apud Deum

praebeant. Quod si adhuc corporeo ergastulo inclusi, quum sua adhuc pericula pertimescerent, et eadem nobiscum coarctarentur anxietate, continuo pro populi necessitatibus precabantur, quanto studiosius nunc, quum magno Regi in aeternitate gloriae adstant, nobis, qui in eadem dimicamus acie, et non dispari alea periclitamur, Divinae conciliationis gratiam non exorant?

I. Quae fides itaque, quod obsequium, qui servitutis, et Religionis cultus uni Deo debetur, ipse idem clamat, postulatque, ut qui cum Christo regnant, veluti precum, votorumque nostrorum apud Deum interpretes, et internuncios revereamur.

II. Quamobrem eorum etiam exuvias, quae animata templa Dei fuerunt, et Capitis membra in paterno sursum solio, et in caelestis omnipotentiae fastigio regnantis, venerari ipsa iubet Religio, iubet Catholica Ecclesia, iubent Patres, iubent eorum in nos quotidiana merita, iubent portenta demum, quibus ab universa rerum natura honorantur. Quandoquidem vel ipso sacrati pulveris adpulsu, adspectuque fugere morbos, difflari pestes, eiulare daemones, mortes vanescere, vitamque redire recidivam videmus.

III. At porro Sanctorum non corpora tantum, et cineres, sed indumenta etiam, instrumentaque ipsa in honore habenda, saepe insuper Fidelibus denuncient, prodigia commemorantes, Deo auctore patrata, per Eliae melotem, per Elisaei lignum,

per Pauli sudaria, per Petri denique umbram, tametsi nihil ea inanius, fugaciusque potest excogitari.

III. Suis loculis, atque thecis reconditae, et obsignatae, in armario Ecclesiae, sericis tegumentis circumvestito, firmisque asseribus septo, Sanctorum custodiantur Reliquiae. Clavis penes Thesaurarium sit in Cathedrali, in aliis Ecclesiis penes Rectorem. Litteris patentibus consignata monumenta in Ecclesiae Archivio adcurate serventur.

IV. Ubi ex armariis eas depromere necesse sit, ut vel in altari conlocentur, vel populo ostendantur, vel per Ecclesiam, aut extrinsecus etiam in publicis supplicationibus circumferantur, id secus fieri vetamus, nisi, qui eas profert Sacerdos, pluviali, vel superpellicco saltem sit indutus, et binae faces cum thure praeferantur. Non vero passim eas ostendi, exponique iubemus, sed solemnioribus, celebrioribusque tantum festis, ac eo praesertim die, qui Sancto, cuius sunt Reliquiae, sacer sit, ut maior iis honor, cultusque tribuatur. Dum vero in altari conlocantur numquam ab earum custodia abscedant duo saltem Clerici cotta induti. Videat tamen Ecclesiae Rector, ne vel in Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti aliquando reponantur, vel una cum Divina Eucharistia in processione deferantur.

V. Sacrae Reliquiae ne a laicis hominibus adtrectentur omnino prohibemus, quam rem beatissimus

Gregorius Pontifex *sacrilegum facinus* adpellat. Non enim fas est sacras res a non sacratis manibus adtingi. Nudas autem extra lypsanothecam populo ostendere, aut publico, privatoque cultui exhibere, perinde prohibemus.

VI. Ut quae a Concilio Tridentino sunt sancte imperata adamussim exequantur, nemini in Dioecesi nostra, ne Regularibus quidem, licebit publice colendas exerere novas Reliquias, nisi rite fuerint a Nobis recognitae, et nostro iudicio adprobatae. Ignotae si quae sint, nullo namque legitimo instructae monumento, seorsim decenti loco, mundisque vasculis comprehensae serventur, nec Fidelium venerationi proponantur.

VII. Quicumque sacram aliquam Reliquiam, ex iis quae sunt in nostrae Dioecesis Ecclesiis depositae, aut particulam eius auferre, donare, vel alio, etiam solemniter, sine scripta nostra facultate adsportare ausus fuerit, excommunicationem facto ipso incurrat, cuius nobis reservamus absolutionem.

VIII. Ad aegrotos item deferri Reliquias, quae in Ecclesiae receptaculis adservantur, nisi iussu nostro, Rector nequaquam patiatur.

IX. Ecclesiarum omnium, etiam Regularium, Rectoribus, ac Praefectis praecipimus, ut intra semestre ab huius Synodi promulgatione intervallum, distinctum sacrarum Reliquiarum, quae legitimis sunt litterarum monumentis comprobatae con-

ficiant indicem. Atque huius exemplar alterum tabulae consignetur, et opportuniori, ac magis patulo Sacrarii loco affigatur, ut ab omnibus videri, legique possit; alterum ad Nos deferant in Archivio Archiepiscopali custodiendum, ut ita satis Concilii Tridentini praeceptionibus faciamus.

X. Per imagines autem Sanctos intueri, ac venerari, quid aliud est, quam ad eorum Sanctitatem, pietatemque imitandam excitari? Nec enim mediocris est in terrena hac peregrinatione consolatio, virtutum exemplis eorum, qui nos praecesserunt, ad spem caelestis patriae erigi. Quamobrem incumbant Parochi, ut probe Fideles intelligant, honorem, et obsequium sacris imaginibus, non eo nomine tribui, quod divinitatis aliquid illis insit, sed ut is honoretur, revereaturque, quem exhibet imago.

XI. Ne quid porro alienum, absurdumque in Ecclesiis effingatur, Concilii Tridentini iussionibus obtemperantes statuimus, ut nemo ulla in Ecclesia, etiam Regularium, novam tabulam, novamque imaginem ponat, vel ponendam curet absque nostra auctoritate. Omnino vero sub poena excommunicationis, etiam Regularibus, tamquam Sedis Apostolicae delegati prohibemus, quominus Sanctorum imagines vel inhonestis, et procacibus lineamentis expressas, quae a prototypi dignitate, et sanctitate discrepent, vel eo artificio, quod ab Ecclesiastica traditione deflectat, vel alio habitu,

et forma praeter quam suevit Ecclesia, Fidelium venerationi exhibeantur. Typis item excusas, cum adpositis orationibus, aut miraculis, aut indulgentiis, nisi a nobis adprobatas, qui evulgaverit eadem poena punietur.

XII. Sanctum Crucis signum, sacrasque imagines, vel in Eccl siae pavimento, vel in sepulcrorum operculis insculpi, efformarique vetamus, ne pedibus per summam indignitatem proterantur. In sordidis item abiectisque locis extra Ecclesiam, in quibus corrumpi, ac foedari facile possint, omnino non pingantur imagines, ne, quod ad inserendam pietatem ponitur, in spretum vertatur. Quae vero sive tabulae, sive signa, vetustate squalent, et offensionem potius, quam religionem populi oculis ingerere videntur, aut tollantur, aut renoventur.

XIII. Videant etiam, seduloque adtendant, ne quid indecore, vel superstitiose, vel falso exprimatur in tabellis, aut signis sive ex ductili argento, sive ex fusili cera, quae voti compotes, vitae discrimine elapsi, templorum parietibus grati animi ergo suspendere consuescunt.

XIV. Eorum imagines, qui non dum albo Beatorum sunt adscripti, in sacris aedibus, et ubi potissimum Divina officia peraguntur, omnino non conlocentur; caveantque Rectores, ne ad eorum sepulcra, qui sanctitatis opinione decesserunt, luminaria accendantur, vel votivae tabellae adponantur.

XV. Hortamur autem, et obsecramus omnes in Domino, ut ab suis aedibus profanas, ac parum decoras extrudant imagines, ne qua prava cogitatio subeat intuentium animos, et quisque, prout Christianos homines adprime decet, sacras Crucifixi Salvatoris nostri Iesu Christi, et Sanctissimae eius Genitricis Mariae, et Sancti tutelaris imagines in suo habeat conclavi, quas adsiduo ac peculiari recolat obsequio. Quem morem ab opificibus item in suis officinis teneri maximopere optamus.

XVI. Catholica fides, siquidem una veritate et nititur, et consistit, omnem mendacii, ac falsitatis suspicionem abhorret. Quamobrem, ne qua humana fraus intercedat, neve ex vulgi levitate falsa rebus adpingantur miracula, omnino prohibemus ne, novo quopiam nunciato miraculo, quidquam usquequaque novi agatur, nisi re a Nobis diligenter explorata, perquisitaque, id statuamus, quod veritati, et pietati consentaneum iudicabimus.

XVII. Quod si ex inconsulta temeritate in miraculum aliquid clamore, ac tumultu vertatur, Rectori Ecclesiae mandamus, ut non tantum turbas modis omnibus dispellere conetur, sed Ecclesiae etiam fores, si necesse erit, obserat, donec ad Nos re delata, quid postulare veritas, et ratio videbitur, statuerimus.

XVIII. Ne qua Religionis sanctitati inferatur iniuria, sub poena excommunicationis prohibe-

mus, repraesentari in scenis ubicumque, sive sacro, sive profano loco historias, miracula, actionesque Sanctorum, nisi a nostro Vicario generali aperte planeque adprobatas. Quas tamen nullo prorsus pacto is permittat, si histriones sanctorum personis ad vaniloquia, scurrilitatesque se admisceant. In sacris autem processionibus ita prorsus actionem quamcumque repraesentari vetitum volumus, ut praeter excommunicationis poenam, qui non paruerit Ecclesiae etiam interdicto subiicientur.

CAPUT VI

De Festorum Dierum Cultu.

Supremus rerum omnium Dominator, et Arbiter Deus, qui nullo non tempore in spiritu et veritate est adorandus, peculiarem a nobis honorem, impensioremque cultum postulat Dominicis, festisque diebus, ut non interiori tantum cordis affectu, sed externis quoque Religionis officiis, summum eius Dominium palam confiteamur.

I. Animarum curatores evulgent diebus Dominicis inter Missarum sollemnia festos dies, si qui in hebdomada incidant; et ubi celebriora instant mysteria celebranda, Fideles hortentur, ut frequentes in templa conveniant, ac omni pietatis studio Divinis officiis vacent, atque alter alteri ad Deum colendum, propitiandumque mutuo sint exemplo.

II. Doceant adcuratissime, qua ratione dies Dominicos, festaque alia coli, celebrarique oporteat, ne Divino Praecepto satisfactum iri arbitrentur, si nullum peragatur servile opus, et Missae sacrum audiatur, cetera autem christianae pietatis, et charitatis officia negligantur. Interest enim permultum, ut omnes intelligant, tunc sanctos, sancteque cultos dici posse festos dies, quum, et Sacrosancto Missae sacrificio non corporis, sed spiritus etiam praesentia adstent, et ea lestia illa mysteria sancta meditatione prosequantur; quum ad orationem, et ad Dei verbum, et ad Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta digne suscipienda mane accedant, vespere autem ad catechesim, ad Rosarias preces, ad Sanctissimi Sacramenti benedictionem, et quum, si quid temporis foris erit impendendum, aegris invisendis, moerentibus solandis, egentibus subveniendis, aliisque charitatis operibus insumant.

III. Tum vero insistant, ne servile opus quidquam agatur, geraturque; ut cauponae occludantur; ut opificia omnia sive domi, sive ruri intermittantur; ne in foris, vicis, plateis, vel in ipso vestibulo, propiusve Ecclesiam venalia proponantur; ne hac illac circumclamantes vagentur negotiatores; ne mercatus, emporia, nundinae agantur; ne collectae eo maxime tempore exigantur, quo sacra fiunt, vel concio habetur, aut supplicationes, vel alia divina officia celebrantur; ut rerum denique,

quarum necessarius est usus, veluti pistorum, pharmacopolarum, aliorumque hoc genus, officinae ita aperiantur, ut non in totum pateant ianuae.

IV. Choreas autem, saltationes, tripudia, quibus non avocatur solum animus a divinarum rerum cogitatione, sed inhonestis quoque artibus imbuitur, et vitiorum veluti contagione quadam depravatur, omnino sub poena excommunicationis interdicimus; quam poenam subituros se etiam sciant circulatores, aliique circumforanei nugatores, qui, quo maiorem sibi frequentiam concilient, festos maxime dies ad imponendum stolidae plebeculae aucupantur; tum et histriones, et qui ludicram quamcumque artem exercent, si quidquam agere, vel vendere festis audeant diebus (1).

V. In hos numquam non vehementi impetu irrumpant Parochi, ne quod tempus Sancta Mater Ecclesia Deo propitiando, conciliandoque delegit, eo potissimum ad Deum gravissimis offensis irritandum, alienandumque, plebs christiana abutatur.

VI. Quoniam autem ad Christianae pietatis officia obeunda aptius, crebriusque excitantur Fideles Ministrorum exemplis, quae per oculos ingeruntur, quam quibus aures percelluntur hortamen-

(1) Id quod civiles, et municip. leg. aversantur. *L. Dominic.* 1. *C. de feriis. L. ult. C. Theodos. eod. tit.* Pragm. 2. *Ne quid in loco publico.*

tis, et praeceptionibus, rogamus omnes de Clero, cuiuscumque gradus, atque in Domino obtestamur, ut festis potissimum diebus in divinis obsequiis, et orationibus, et obsecrationibus toti sint, nam ita plane; dum sui muneris implent partes, incitamento maximo omnibus erunt, ut dies Deo sacros, et vitam proinde omnem pie, sancteque traducant.

VII. Servile opus, si quando necessitas postulet, ut festo die clanculum exerceatur, Vicarium foraneum quisque suum adeat, qui cognita, perspectaque caussa, necessitati pro sua prudentia, ac religione subveniat. Quod quidem iuris ita Vicariis Foraneis adtributum volumus, ut nemini praeterea, ne confessariis quidem erga poenitentes, id sibi liceat arrogare. Ad alia opera vero, etiam pietatis caussa, palam suscipienda, facultatem Nobis prorsus reservamus, numquam nisi scripto concedendam.

VIII. Magistratus vero, et qui locorum universitatibus praesunt, siquidem ad studia Religionis, et ad Divinarum rerum officia ipsi praeire exemplo cunctos debent, hortamur idcirco singulos, et universos, et pro Pastoralis officii nostri munere in Domino monemus, ut festis diebus solicite, adsiduissimeque in maiorem Ecclesiam cum frequenti populo tam ad solemne Sacrum, quam ad alia pietatis, Religionisque obsequia conveniant. Tum vero, ut nihil quidquam sive in civitate,

sive in pagis agi, fierique sinant, quod a festorum cultu abhorreat, nisi violatae sanctissimae legis reos ipsi se constituere velint.

IX. Novissima Pii VII. Constitutione (a), quum praeter anni Dominicas, hi sint duplicis praecepti Festi dies statuti, nimirum: *Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi: Epiphaniae: Purificationis Beatissimae Virginis Matris Dei Mariae: Adnunciationis eiusdem: Sancti Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis: Ascensionis Domini: Sanctissimi Corporis Christi: Nativitatis S. Ioannis Baptistae: Sanctorum Apostolorum Petri, et Paulli: Adsumptionis Deiparae Virginis: Nativitatis eiusdem: Omnium Sanctorum: Conceptionis Sanctissimae Dei Matris: Nativitatis Domini Nostri: et Sancti cuiusque loci Patroni*, doceant Parochi populum, nihil Sanctorum venerationi, Fideliumque pietati, ista festorum contractione, derogasse Pontificem, sed angustiis temporum solummodo, quibus populi premuntur, sua charitate occurrisse. Quapropter Solemnitates, et officia, quae in Ecclesia antehac in reliquis festis obtinuerunt, eodem modo, eodemque ritu, et celebritate omnino Clerus obire, ea ipsa Constitutione, iubetur.

X. Sancti Herberti Archiepiscopi Compsani, et Civitatis, atque universae Dioecesis Patroni, cuius

(a) Const. Pii VII. die x. Aprilis MDCCCXVIII.

venerandum corpus in nostra Metropolitana Basilica colitur, ut speciali honoris, et religionis officio festus dies XIII. Kal. Septembres celebretur, eumdem cum in Civitate, tum in pagis Sancti Andreae, et Sancti Mennae sub duplici praecepto observari iubemus, in tota vero Dioecesi Compsana cum debito Missam tantum audiendi; ut praeter immemorabilem consuetudinem, apertis Decessorum nostrorum Synodalibus constitutionibus est sancitum, quas hoc nostro Synodali decreto confirmamus.

XI. Civitatis Campaniae Patroni Sancti Antonini Abbatis festum XVI. Kal. Martias in Ecclesia SS. Salvatoris celebrari mandamus; transferri attamen statuam intra Cathedralem Ecclesiam, antequam sacris solemnibus operetur Archiepiscopus, tum ad avertenda mala, quae ex loci angustia dimanant, tum ut debitus Principi Patrono cultus in Principe Ecclesia exhibeatur; et Missa Pontificali absoluta, eo, unde est translata, publica supplicatione reportari. In Patrocinii vero festo die, qui vertentibus annis Dominica quarta post Pascha recolitur, vetus consuetudo servetur, ut ante pervigilii vespertinas preces statua in Cathedralem Ecclesiam solemniter deferatur, non hinc in suam Paroeciam reducenda, nisi postridie festum.

XII. Quum non sine magna animi nostri aegritudine invaluisse morem in hac Dioecesi animadvertissemus, Sanctorum festa, pro arbitrio ad po-

pularem, profanamque laetitiam potius, quam ad Christianam pietatem fovendam in alios anni dies transferendi, ei rei, quantum in Nobis est, prospicere volentes, mandamus Parochis, Ecclesiarumque Rectoribus, ne huiusmodi translationes celebrari in posterum absque scripta nostra facultate praesumant, quam sane consecuturam numquam sperent, si vel solemniora festa eo forte die recurrant, vel plene nobis non constiterit, omnem ab iis abesse saecularem vanitatem. Qui contra fecerit, sciat gravissimas se arbitratu nostro subiturum poenas.

XIII. Superiorum temporum improbitati, quibus quamplura in Ecclesiam invecta sunt mala, insuper occurrentes, laicis hominibus omnino vetitum interdictumque declaramus, ne in iis, quae ad festorum celebrationem quo quo modo spectant, se immisceant, nisi in subsidium ab animarum Curatoribus, Ecclesiarumque Praefectis in una tantummodo rerum executione advocentur. Qui patronatu sive Ecclesiae, sive altaris potiuntur, aut pietatis, beneficentiaeque bona administrant, contribuere quidem quod pactum, conventumve est, aut suetum, Ecclesiae, et Altari satis habeant, non vero quae Sacra sunt suo ordinare arbitrio, et imperio. Qui sanctioni huic non paruerint, poenis, et censuris Ecclesiasticis coercebuntur.

PARS SECVNDA

CAPVT I.

De Sacramentorum Administratione.

I. Sanguis Domini Nostri Iesu Christi, semel effusus, non quiescit, non otiatur, sed in Sacramentis receptus, per eadem, ceu per alveum, ad sanctificandas animas nostras perpetuo diffluit. Haec itaque sunt ex dissecto Crucifixi latere promanantium gratiarum instrumenta, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur; et quibus in Christo et renascimur, et roboramur, et vivimus, et erigimur, et convalescimus, et consecramur, et multiplicamur.

II. Videant Mysteriorum Dei dispensatores, quanta animae puritate sint ista tractanda, ne, dum gratiam, et vitam aliis impertiantur, ipsi sibi mortem consciscant. Studeant quapropter eam vivere vitam, ut nullo non tempore ad tantae administrationis munus parati inveniantur. Et si quando, Deus avertat, gravioris reatus quis sibi conscius fuerit, et Sacramenti conficiendi necessitas urgeat, per cordis contritionem animae suae consulat, nisi temporis, et loci ratio patiatur, ut exhomologesim faciat.

III. Interiori sanctitati parem adferant extrin-

secus cultum. Tunicam ab humeris ad talos protensam omnino gerant, quam linea veste, seu superpelliceo contegant, stola superiniecta: auget enim Populi pietatem ministrantium tum gravitas, et religio, tum res sancte, decoreque tractata. Nec vero cursim, vel praepropere quae agenda sunt peragant, sed omni diligentiori studio, sedulitateque, ut et Fidelium erga Sacramenta incitetur veneratio, et suum quoque ministrantis dignitati stet decus.

IV. Ad ministranda Sacramenta adciti, prompto, et alacri animo, atque omni prorsus abrupta mora adcurrant, sub poena suspensionis a divinis. Nec a temporis, viarum, loci, aut cuiusvis incommodi ratione abduci patiantur, ut saluti, utilitatique eorum, quibus sunt praepositi, consultum eant: certi hunc laborem, assiduitatem, charitatemque magno cum foenore repositam iri ab animarum aeterno Pastore Christo Iesu. Quin aegrotos, etiam non vocati, ultro, ac libenti animo invisant, spiritualibusque iuvent subsidiis. Quod si negligentia acciderit, ut quisquam, e populo sibi concredito, non Ecclesiae Sacramentis munitus ex hac vita discedat, severissime pro merito punietur.

V. Ritualem librum frequenter versent, et quamvis singulorum Sacramentorum formas, ritus, caeremoniasque probe calleant, continuo tamen in ipsa administratione prae oculis habeant, tum ut formam, et orationes distincte, atque omni

animi pietate, et religione pronuncient, tum ne quid, vel levis erroris, in re tanti momenti committatur. Adtentionem proinde in ministerio adhibeant, quantam possunt maximam, atque id sibi agere animo proponant, quod Christus Dominus instituit, et Sancta Mater Ecclesia intendit, et agit.

VI. Ut autem intelligat Populus, quae, et quot eximia nobis a summa Dei clementia ad beatae vitae adeptionem tributa sint adiumenta, non cessent crebris sermonibus animarum Curatores singulorum Sacramentorum notionem, vim, usum, salutaresque effectus, caeremoniarumque significationes Fidelibus exponere, et veluti ante oculos ponere, tunc praesertim, quum illa proxime sunt administraturi.

VII. Nullatenus autem patiantur, quemquam ad suscipienda Sacramenta accedere, vel animo non ad pietatem, et religionem composito, vel corporis cultu, et ornatu non ad Christianam modestiam, humilitatemque adcommodato. Dent operam ideo, ut viri arma deponant, si quibus sunt succinti, etiam quum Patrini partes sustineant, sive ad infantes Sacro Fonte suscipiendos, sive in Confirmationis Sacramento. Feminae pariter a Sacramentis arceantur, nisi honesto ornatu, et capite velato, atque undique obtecto.

VIII. Nihil prorsus, vel minimum quidquam in administrandis Sacramentis ab ullo petant, exigantque Parochi. Qui secus fecerit gravissimas

se poenas arbitrio nostro daturum intelligat, non avaritiae tantum, sed etiam simoniacae pravitatis reus. Si quid vero charitatis, et religionis studio, ac sponte, Sacramento peracto, a Fidelium pietate offeratur, id tantum accipere, pro loci consuetudine liceat.

IX. Sacramenta, quorum administratio ad Curatores animarum spectat, nemo nisi facultate a Nobis, vel a Vicario Nostro impetrata audeat administrare. Secus, si necessitas urgeat, et absint Curatores: tunc enim cuilibet Sacerdoti permissa censeatur administratio.

X. Tabernaculi, in quo Sacratissimum Domimini Corpus adservatur, tum armarii, quo Sacra Olea inclusa custodiuntur, nec non baptismalis etiam fontis claves, Rector, Praefectusve Ecclesiae diligenter, cauteque apud se habeat, aut tuto loco, unde se inconsulto, vel inscio, auferri nequeant, servet; ac ne clerico quidem ministro illas umquam committat.

XI. Si quis Sacramenta, resve alias sacras, ad Dei cultum, et hominum salutem comparatas, ad profanos adhibere usus attentaverit, aut, quod detestabilius est, ad maleficia abuti; is nefario sacrilegii crimine obstrictus, severissima a Nobis animadversione punietur; et excommunicationis latae sententiae poena hoc decreto innodatus declaratur.

CAPUT II.

De Baptismi Sacramento.

Baptismus, ex quo Fidei incipit origo, Sacramentum est ad spem vitae aeternae ingredientium, Sacramentorum omnium ianua, et iustificationis visibile principium. Qui enim mundo, servi peccati, nascimur, per lavacrum aquae, liberi iustitiae, caelo renascimur; et qui filii diaboli, filii gehennae geniti, mox in Christo abluti, peccatorum vetustate in aquis sepulta, filii Gratiae, filii Dei, heredes regni Caelorum in novam creaturam regeneramur.

I. Quum nulla salus homini, praeter eam, quae ex Baptismo est, promittatur, dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joan. III. 4.) videant parentes, quam impie cum liberis suis agant, si diutius quam necessitas postulat, in aeternae perditionis periculo eos versari patiantur. Quapropter si post tertium ab ortu diem Baptisma infantibus suis conferendum prorogaverint, excommunicationi ipso facto subiaceant.

II. Enixius animarum Rectores studeant tantae necessitatis Sacramentum quam citissime conferre. Quod si eorum negligentia, aut tarditate contingat, ut quis sine Baptismo decedat, praeter alias poenas, suspensionem nobis reservatam incurrant.

Non alibi vero, quam in Parochiali Ecclesia, et ad fontem Baptismalem interdiu id agant, nisi grave periculum vitae infantis immineat. Qui secus fecerit suspensione multabitur.

III. Obstetricis officio nulla fungi sinatur mulier, quae formam, et cuncta, quae sunt ad Baptismi administrationem necessaria, non optime calleat, et nisi a Parocho adprobationis testimonium scripto acceperit. Si qua secus agere praesumpserit, ad huiusmodi officium nullatenus vocandam, publice in Ecclesia populo denunciet Parochus.

IV. Sedulo Curatores animarum moneant obstetrices, ne nimis se faciles praebeant in Baptismate conferendo: ut formam italico, immo etiam vernaculo sermone, distincte proferant: ut pura, simplici, et elementari aqua utantur: ut eo ipso, quo infantem abluunt aqua, sacrae verba formae pronuncient: ut a vanis observationibus, novisque ritibus se abstineant: ac singulis annis ad se in pervigilio Sancti Ioannis praecursoris adscitas adcurate de omnibus percontentur, ut experimento cognoscant, sint nec ne recte institutae.

V. Ab obstetricibus, instante mortis periculo, baptizati, si eo evaserint, ad Ecclesiam quantocius per easdem deferantur, ut si Parochis pro certo constiterit, fuisse omnia considerate peracta, caeremonias tantum ipsi suppleant, necessitatis caussa praetermissas; si vero aliqua suboria-

tur dubitatio, denuo infantem sacris aquis sub conditione perfundant.

VI. Caveant Parochi, ne quid infantibus sit adpensum ad superstitionis usum. Item ne sal exorcizatum, linteola, aut aliud quidquam, quod in Sacramenti ministerio sit adhibitum, domum adsportetur.

VII. Expositis infantibus Baptismum sub conditione conferri volumus, etiamsi schedula inveniatur collo adligata, vel fasciolis inserta, qua baptizatos eos esse innuatur. Idem vero nomen iis imponatur, quod est in schedula adnotatum; et omnia sive verba, sive signa, quibuscum reperti sunt, in librum baptizatorum adamussim referantur.

VIII. Susceptores, qui et Sponsores, et Fideiussores in sancta antiquitate dicebantur, nunc vero *Patrini*, non plures sint, sed iuxta Sacros Canones, et Concilii Tridentini decreta unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una. Ab huiusmodi autem officio arceantur, qui sacro Chrismate non sint confirmati; qui ad sacram Synaxim non dum accesserint; qui Christianae Doctrinae capita ignorant; qui quatuordecim annos non clauserint; qui Paschalis Communionis praeceptum non adimpleverint; qui Ecclesiasticis censuris sint obstricti; flagitiosi item, et publica sceleris labe notati; nec non Sacerdotes, Clerici, et cuiuscumque ordinis, utriusque sexus

Regulares, sive per se, sive per procuratores, sub poena Parochis, illos non repellentibus, aut hos admittentibus, Nostro arbitrio definienda.

IX. Saepius autem populo aperiant Parochi quid oneris in se recipiant Sponsores isti, qui se fideiussores praebent apud Deum pro iis, quos de sacro fonte suscipiunt, et quid agere debeant, ut suo muneri satisfaciant. Explicare item non cessent cognationem spiritualem, qua suscipientes cum baptizato, eiusque parentibus ita devinciuntur, ut legitima coniugii foedera eos inter iniri non possint, atque inita dirimantur.

X. Baptizatis Sanctorum, et Angelorum digna populo Dei, non autem inania nomina imponantur.

XI. Parentes, et nutrices post conlatum Baptismum cavere iubeant Parochi, ne infantes ante annum completum in lecto secum detineant, ne misere suffocentur, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, a cuius vinculo non absolventur, nisi gravi poenitentia a Nobis castigati.

Ad haec, pro re nata coniugatos moneant, ut non committant filios suos, aut filias, etiam post annum exactum, in eodem secum lecto iacere, aut pueros cum puellis cubare, ne morum inducatur corruptela.

XII. Ministerio sacro rite absoluto, e vestigio Parochus in baptizatorum codicem adposite compactum, numerisque ad singulas paginas distinctum, referat baptizati infantis, tum parentum, suscep-

torum, et ipsius ministri nomen, et cognomen. Nativitatis vero, et baptismi diem, non per notas arithmeticas, quae facile variari possunt, sed per litteras describat. Si infans, vel ob vitae periculum, vel de nostra facultate domi baptizatus fuerit, id etiam adcurate exprimatur, et singulis adnotationibus nomen suum Parochus subiiciat. In tabulario autem, clave obserato, cautissime librum custodiat, neque legendum tradat, nisi cui a Nobis scripto facta fuerit facultas, et tunc quidem ipsomet adstante.

XIII. Sacrum fontem omni diligentia custodiant Parochi, et quidquid in huius Sacramenti administratione adhibetur. Si sal, quod in ipso fonte servari solet, prae loci madore in aquam diffluat, in aliquo Sacrarii armariolo occluso seponatur. Vascula ad Sacra Olea sint argentea, et suis inscriptionibus distinguantur. Gemina stola, violacea nempe, et alba omnino adhibeatur ad mysteriorum significationem, quae his repraesentantur, nec unquam licebit unica bicolori stola baptismum administrare. Aqua demum baptismatis in Sabbato Sancto, et in pervigilio Pentecostes sollemni ritu renovetur, et benedicatur.

XIV. Mulieres recenti partu levatas moneat Parochus, ut, ubi primum domo egrediuntur, nusquam alio, quam Ecclesiam adeant, ibique vota sua Deo prolis datori exsolvant, et Sacerdotalem Benedictionem, more antiquitus tradito, re-

cipiant. Caveat attamen, ne si puerpera ad Ecclesiam venire aut neglexerit, aut ex invaletudine nequiverit, ipse, impertiendae Benedictionis gratia, ad illius domum se conferat; quod, suspensionis poena proposita, vetitum, interdictumque volumus.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

Baptismus Sacramentum intrantium est, Confirmatio pugnantium. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Per Baptismum in Christi milites recipimur, per Confirmationem armis ad pugnam instruimur, quibus facile possimus et carnem, et mundum, et eum, cui in Baptismo renunciavimus, diabolum superare. Unus autem, idemque est Spiritus, qui et in Baptismo datur, et in Confirmatione, sed alius, atque alius pro diversa gratiarum donatione. Qui enim in fonte pulchritudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam.

I. Ne Fideles ea gratiae plenitudine fraudentur, quam Christus Dominus per hoc Sacramentum effundi in omnes voluit, saepe Pastores de eius virtute, et praestantia, ac de mysticis rituum significationibus ex Romano Catechismo verba fa-

ciant ad populum, maxime vero ubi Chrismatis administratio in proximo erit. Ostendant item quam perverse, improbeque secum agant, qui oblatam sibi respuant gratiam, quantoque in periculo versentur, quandoquidem formidolosis hostibus unde unde cincti, indui virtute ex alto ad eorum impetus refringendos negligant.

II. Edoceant praeterea Fideles, indelebili charactere per id Sacramentum consignari animam, ut semel confirmati non possint sine sacrilegio ad Confirmationem iterum accedere. Palamque omnibus denuncient, easdem conditiones in susceptoribus requiri, quas in Baptismi sponsoribus supra postulavimus; et spiritualem, quae ab ipsis contrahitur, cognationem, eamdem esse, ac quae in Baptismo contrahitur.

III. Die ad Sacrum Chrisma administrandum constituta, qui probe instructi in principiis Fidei a Parocho reperti fuerint, mature in Ecclesia congregentur, ut animi noxas Sacramentali Confessione abstergant, et, si per aetatem licuerit, Caelesti Mensa reficiantur. Tum vero quisque a Parocho schedulam, propria manu subsignatam, accipiat, in qua Confirmandi nomen, nedum parentum quoque, et sponsorum exprimatur. Quum autem nemo a nobis inungetur, nisi id exhibeat testimonium, caveant Parochi, ne cui schedulam tradant, qui vel septennium non excesserit, vel externo quoque corporis cultu, ac modestia

suam erga Dei donum reverentiam non ostendat.

IV. Antequam Sacri Chrismatis administratio inchoetur, feminae a maribus segregentur, et unusquisque sui sexus conditionem sequatur, ut mares a maribus, feminae a feminis offerantur. Mox ad actus fidei, spei, charitatis, et contritionis eliciendos, Sacerdote praeeunte, inventur confirmandi. Ac demum ubi in eosdem Spiritus Sancti illapsus a Pontifice invocatur, cuncti genibus flexis adsint, et e vestigio unus post alterum suppliciter, demisseque Sacrum suscipiat Signaculum, nec pedem ab Ecclesia efferat, nisi, ministerio absoluto, Archiepiscopus suam omnibus impertiverit benedictionem.

V. Sacramento peracto, confirmatorum schedulae Parocho reddantur, cuius curae erit in libro quantocius tum eorum nomina, et cognomina recensere, tum etiam parentum, et susceptorum, praemisso Pontificis confirmantis nomine, die, mense, et anno. Si qui ex aliis Paroeciis ad Sacramentum suscipiendum confluxerint, horum adnotationes separatim conficiat Ecclesiae Rector, et ad Parochos, ad quos pertinent, intra mensem authentica exemplaria transmittat, ut eos in proprium librum cum suis adnotationibus referant.

CAPUT IV.

De Sacrosanctae Eucharistiae Sacramento.

Quum et vita, quam in Regenerationis Sacramento ingredimur, et pugna, ad quam Chrismate uncti in Confirmatione armamur, utraque sit spiritualis, spiritualem nobis Misericordiarum Pater elargitus est alimoniam, ut quibus vivendum, et pugnandum est, non deficerent vires. Qua in re singularem suam effusissimamque erga nos charitatem declaravit. Neque enim corruptibili aliquo cibo nos reficiendos voluit, sed ipso suo Sanctissimo Corpore, ac pretiossimo Sanguine, ut quod de nostro adsumpsit, totum nobis conferret ad salutem, et ut in unam cum ipso massam coagmentati, unum Christi corpus omnes, et una caro efficeremur.

I. Enixius nihil ab animarum Rectoribus efflagitamus, quam ut Fideles crebris sermonibus ad Augustissimi huius Sacramenti cultum, venerationemque accendantur, in quo ipse idem humani generis Redemptor Christus Dominus pro ineffabili sua benignitate nobiscum manere dignatus est usque ad consummationem saeculorum.

II. Sed quoniam Panis iste Caelestis ad alendam animae vitam nobis est Divina bonitate impertitus, ut eius desiderio Fidelium animi exardescant, et solemnioribus saltem festis Sacrae Mensae partici-

pes efficiantur, numquam desinant animarum Rectores illius virtutem, magnitudinemque praedicare. Doceant eo ipso tamen, qua fide, qua charitate, et animi candore ad haec sacra Mysteria sit accedendum, quantoque studio oporteat conscientiam excutere, et Sacramentali confessione ab operibus mortuis emundare.

III. Ut vero immensi, ac infiniti huiusce doni custodiae, et venerationi consulamus, nusquam adservandam Sacrosanctam Eucharistiam praecipimus, nisi in Ecclesiis Parochialibus, et Regularium utriusque sexus, praeterquam si speciali privilegio, et facultate alicubi etiam fuerit concessum. Attamen ubi licet, praeter Cathedralem Ecclesiam, et Collegiatas, in quibus peculiare Sacellum Divinissimo Sacramento volumus adtributum, nonnisi in ara maxima conlocetur. Tabernaculum maiori qua fieri potest magnificentia refulgeat, neque in planitie, sed superiori gradu adsurgat. Interius panno serico albo circumvestiatur, eiusque ostiolum, serico item panno ornatum, argentea clavi obseretur, quam Ecclesiae Rector adcuratissime custodiet.

IV. Mundo linteo instrato duae semper insideant ex argento solido pyxides, intrinsecus auro obductae, cum suis palliolis albi coloris; maior altera in qua tot semper in promptu habeantur particulae, quot fidelibus communionem postulan-

tibus sufficere possint, quaeque singulis hebdomadis, vel decimo ad summum die sunt renovandae; altera minor, qua Sacramentum ad infirmos deferatur. Particulae, ubi opus, a maiori desumantur, quarum reliquae, post regressum ab infirmi domo in Ecclesiam, in maiori pyxide reponantur.

V. In Tabernaculo, in quo Sacratissimum Christi Corpus vel reconditur, vel recondi debet, nec Sacra Olea, nec Reliquias Sanctorum, et ne Sacratissimae quidem Crucis particulam fas sit conlocare.

VI. Coram Sanctissimo Sacramento lampas diu noctuque perpetuo ardeat. Ecclesiarum Praefecti, si vel minimo temporis intervallo, sive interdiu, sive per noctem lumen deficiat, severisima animadversione punientur.

VII. Publicae adorationi, nisi in maiori ara, vel in qua Sanctissimum Sacramentum adservari solet, ne proponatur. In ea Sacrae imagines ne conlocentur, neque Reliquiae. Laici propius ne accedant, cuiusvis muneris obeundi gratia, sed Clerici, vel Sacerdotes superpelliceo induti omnia praestent. Prae foribus densa obtendantur velaria. Mensae vendentium, et quidquid populum ab oratione distrahere possit, a Sacra Aede removeatur.

VIII. Nusquam in Ecclesiis quibuscumque publicae venerationi exponatur Sanctissima Eucharistia absque Nostro scripto concessu. Quod et Re-

gularibus a Sacra Rituum Congregatione est interdictum, cuius hanc in rem decreta inviolabiliter servari praecipimus (1).

IX. Caveat Parochus, ne sua negligentia quis ex aegrotantibus aeternitatis iter sine divino Viatico adgrediatur. Si infirmitas diuturnior fuerit, etiam ritu Viatici, salutis pignus petenti aegro concedat. Pueris vita periclitantibus, et per aetatem ad Eucharisticam Mensam non dum vocatis, si Fidei rebus satis fuerint instructi, satisque norint caelestem a terreno pane discernere, libenti animo iis exhibeat. Sacramentum vero vel a Parocho deferatur vel a Sacerdote, cui sit excipiendi Fidelium Confessiones facta facultas. Certis porro compani aeris percussionibus signum detur, quo moniti Fideles, quacumque posthabita cura, Ecclesiam adeant, Sacerdoti ad infirmos vitale ferculum deferenti se comites adiuncturi. Quin dum ad aegri domum itur, tintinnabulum distinctis ictibus continuo per viam pulsetur, ut qui procul sunt, ubi Sanctissimum Sacramentum adpropinquare sentiant, ad illud adorandum, co-

(1) *Sacra Rituum Congregatio saepius censuit, non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario. Ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit.* Die 17. Aug. 1630.

mitandumque invitentur. Ad Ecclesiam reversus Parochus, antequam Eucharistiam recondat, iis qui pie illam sunt prosequuti, adtributas enunciet indulgentias et oratione recitata Benedictionem impertiatur. Adtendat autem quam sedulo, ut, si quando noctu efferri Sacramentum contigerit, feminae prorsus omnino se domi contineant.

X. Haec autem omnia ut studiosius, atque honorificentius praestentur, Sacratissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi Societatem in unaquaque Parochiali Ecclesia, intra sex a promulgatione huiusce Synodi menses, ad nostrae praeceptionis formam institui, hoc decreto sancimus. Atque confidimus in Domino plurimum, neminem ex Christi Fidelibus fore, qui suum dare nomen sanctae huic societati recuset, ob amplissimos praesertim indulgentiarum thesauros, quibus Supremi Pontifices Paullus V. Innocentius XI. et XII. piissimum id opus ditare dignati sunt. Ex his vero decemviri, vel saltem octoviri communibus suffragiis deligantur, qui singulis mensibus, quotiescumque Sanctissima Eucharistia ad aegrotos deferenda erit, in Ecclesiam adcurrant, ut Summum Regem regum, caelique, et terrae Dominum accensis cereis deducant, reducantque.

XI. In unaquaque maiori Ecclesia modis omnibus efficiant Parochi, ut quae pro Sanctissimi Sacramenti cultu, et honore adprime sunt necessaria, omnino ne desiderentur. Tentoria nempe duo;

Splendidum alterum, senis hastilibus innixum, illigatumque, quotiescumque erit solemnium supplicationum diebus circumferendum Eucharistiae Sacramentum; Ex simplici serico alterum quatuor hastilibus sustentandum, quum Caelestis Panis ad aegrotos pro salutari viatico defertur; thuribulum praeterea argenteum cum sua navicula; umbella item orbicularis formae, sine qua numquam proferri Sacramentum volumus; tum et laternae hastatae saltem quatuor, pellucidis vitris adversus ventorum, imbriumque iniuriam circumdatae; et cerea demum funalia ad summum octo, ut duodenarium numerum saltem expleant lumina.

XII. Singulis Dominicis Quadragesimae animarum Curator, publice inter Missam, Fidelibus denunciet Ecclesiae legem illam, in Lateranensi Concilio latam, qua necessitas Christianis omnibus est imposita, quotannis in Paschate Sanctissimam Eucharistiam suscipiendi, nempe a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis. Ut vero iniri ratio possit eorum, qui ad Divinam Mensam accedunt, et eorum, qui sanctissimo huic Ecclesiae praecepto parere neglexerint, agat in sua quisque Parochia, ab ipso quadragenarii ieiunii initio, quolibet anno censum animarum, ex quo singulos, et universos in legitima ad Eucharistiam sumendam aetate constitutos excerpat, et in libro describat. Ipse autem per se, vel per vicarium curatum, Sacramentum Corporis Christi populo ad-

ministret, et schedulas in testimonium acceptae divinae dapis per probatae fidei ministrum distributas, exacto octavo Paschatis die ostiatim repetat, conferatque cum animarum censu.

XIII. Si qui reperti fuerint praecepto communionis Paschalis inobsequentes, eos semel, iterumque Parochus paterne hortetur, ut suae consulant saluti, removeantque impeditiones, quibus ne ad Domini Mensam adcumbant, prohibentur. Contumaces si qui sunt, publice, suppresso tamen nomine, iterum, iterumque, ac tertio moneat per tres sequentes Dominicas cum interminatione poenarum, quae sunt per Lateranensis Concilii Canonem sancitae (1). Si tribus istis praemissis monitionibus, adhuc per totam octavam Pentecostes in sua persistant contumacia, ii interdicto ipso facto afficiantur. Parochi suspensionis poenae erunt obnoxii, si infra quindecim dies post Pentecosten praecepti violatores ad nos in scriptis non denunciaverint, ut nominatim in eos Sacrorum Canonum censuris animadvertamus.

XIV. In sua quisque Parochia Paschalis communionis praeceptum impleat, aut de manu nostra

(1) *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti . . . . suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum . . . alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Conc. Lateran. IV. Cap. *omnis* 12. *de poenit. et remiss.*

in Ecclesia Metropolitana. Qui secus egerit, violatae Ecclesiasticae legis reus habeatur. Parochis sub poena suspensionis ipso facto interdicimus, ne cui licentiam dent, ut extra propriam Parochialem Ecclesiam ad caelestem Mensam in Paschate accedant, nisi in casu dumtaxat verae necessitatis (1).

XV. Si cui fuerit a Nobis, iusta aliqua de causa, impartita facultas, alibi quam in propria Parochia, Eucharistiam sumendi, nisi de ea re fidem suo faciat Parocho, perinde habeatur, ac si praecepto non paruisset. Ad haec, si quis Paschali tempore a Dioecesi nostra abfuerit, nisi reversus Eucharistiam sumpsisse, testimonio Parochi, de cuius manu Corpus Domini accepit, scripto probaverit, is intra octavum diem aut Ecclesiae praecepto satis in sua Parochia faciat, aut uti Ecclesiae legis contemptor habeatur. Regularibus, ne in festo die Paschatis cuilibet Sanctissimam Eucharistiam, etiam devotionis gratia impartiantur, sub excommunicationis poena ipso facto subeunda interdicimus (2).

XVI. Advenae, peregrini, et qui nullum certum habent domicilium, ad Cathedralem Ecclesiam pro Eucharistiae perceptione remittantur; eo-

(1) Synod. Scipionis Gesualdi Archiepiscopi Comps. habit. an. MDC. Cap. *de Sacr. Euchar.*

(2) Paullus IV. Const. 1. *Ex clementi.* Innocent. X. Const. 29. *Cum sicut.* Clem. X. Const. *Suprema.* S. Congr. Conc. 11. Iun. 1650. et 31. Ian. 1682.

rumque nomina, cum adiunctis, in librum distincte referantur, ex quo possit de re praestita testimonium petentibus impertiri.

XVII. Pueri, et puellae ad primum divini Corporis convivium non admittantur, nisi Parochus, cui progressus suarum ovium est dignoscendus, eos in omnibus repererit instructos, quae de tanto Mysterio tradit Fides. Quin paucis ante diebus, quam ad novi Regis Mensam adcumbant, venire ad se iussos de rei magnitudine, ac dignitate ipse ita informet, ut plane animo concipiant, quanti sit hospitio ipsum Deum conditorem ac Redemptorem nostrum excipere, quantaque cura oporteat domum purgare, polire, ornare, in qua ille est habitaturus. Praestat vero, de qua re magnopere Curatorum sollicitamus charitatem, ut ubi primum Divina Hostia est iisdem in Paschate impertienda, nonnisi in unum collecti, et agmine facto, ad Dominicam Mensam adducantur.

XVIII. Aegrotis, nec non diuturno morbo laborantibus, et in custodiam conicctis, ut Divini epuli participes fiant, stata intra Paschale tempus die, et solemniori instituta processione, Sanctissimam Eucharistiam deferant animarum Curatores: Quod ut iterum, ac tertio singulis annis perficiant, plurimum in Domino iisdem commendamus.

XIX. Ab Eucharistica communione omnino arceantur excommunicati, interdicti, concubinarii, meretrices, usurarii, blasphemi, malefici, in

crapulis, et ebrietatibus pertinaces, donec non dubia poenitentiae, et sincerae emendationis argumenta praebuerint. Removeantur quoque coniuges, qui scorsim ab altero coniuge vivunt, nisi moniti in pristinam vitae societatem redierint.

XX. Solemni Corporis Christi festo die adventante, ut ad illum sancte, ac religiose celebrandum omnes incitentur, curae sit paroeciarum Praepositis, indulgentias, a summis Pontificibus tantae celebritatis gratia profusas, denuntiare fidelibus. Nimirum, eos qui pridie eius festi ieiunandi morem susceperint, et rite confessi ad Eucharisticam Mensam eo ipso die accesserint, indulgentiarum uberem fructum percipere; qui sive primas vesperas, sive matutinas preces obierint, sive solemni Sacrificio Missae eo die interfuerint, centum annorum pro quaque re indulgentiam consequi; qui vel Canonicis horis primae, tertiae, sextae, nonae, vel secundis vesperis operam dederint, ad singulas horas quadraginta annorum indulgentiae compotes fieri. Sed praeterea urgere populum non desinant, ut dum ad divinae immensae charitatis triumphum recolendum per vias, et plateas circumfertur SS. Sacramentum, nemo committat, ut pompam omni pietatis studio non prosequatur, et comitetur.

XXI. Temporaria sepulcra, quibus, ad Christi Domini sepulturam fidelium animis repraesentandam, Sanctissima Eucharistia feria quinta maioris

hebdomadae reconditur, in iis dumtaxat Ecclesiis construantur, in quibus Sacramentum perpetuo adservatur. Clavis arculae nequaquam laicis hominibus cuiuscumque dignitatis, vel monialibus tradatur. Qui contra fecerit excommunicatione mulctabitur, et Ecclesia interdicto subiicietur, quemadmodum compluries est a sacra Congregatione decretum (1).

XXII. Quadraginta horarum supplicatio in iis item Ecclesiis fiat, quibus Eucharistiam retinendi facta est potestas, ac ne in iis quidem omnibus, sed in quibus concessu nostro fuerit statutum. Altare magnifico, splendidoque adparatu ornetur, luminibusque quamplurimis illustretur. Atque ut rite, recteque omnia peragantur, pridie eius diei sub primam noctis horam festivo campanarum sonitu ad Ecclesiam populus invitetur. Mane, quum clerus tam saecularis, quam regularis, et sodalitates omnes convenerint, et Divina res solemni ritu fuerit celebrata, Sacerdos pluviali veste indutus, Sacramenti ferculum utraque manu ferens, Ecclesiam, processione instituta, ac clero litanias, hymnosque canente, circumeat intrinsecus. Ad summum altare regressus, Sacramentum in suo solio conlocet, clericis duobus numquam ab illius custo-

(1) S. Congr. 20. febr. 1619. 15. Decemb. 1632. 28. Mart. 1637. 13. Sept. 1642.

dia recedentibus, vel saltem duobus e sodalitate Corporis Christi, proprio sodalitatis amictu velatis. Horae ita interdiu partiantur, ut sine ulla intermissione oretur. Primis tenebris, caeremonia rite peracta, Sanctissimum Sacramentum ex altari sublatum in tabernaculum recondatur. Exactis quadraginta horis, pari supplicationis pompa, ambituque, circumferatur Eucharistia, et statis precibus, orationibusque absolutis, indulgentiisque promulgatis, solemnis benedictio impertiatur. Si Ecclesia adparatus sumptui sustinendo sit impar, licere volumus Parocho, per Sacerdotes a nobis deputatos, eleemosynas eo nomine quaeritare, ex quibus si quid superfuerit, in usum, ornatumque eiusdem Sacramenti erogari iubemus. Nullatenus vero ipso precationis tempore stipem per Ecclesiam rogitari volumus.

XXIII. Demum per viscera charitatis Domini nostri Iesu Christi animarum Rectores rogamus, ut pium, religiosumque quotidianae Sanctissimi Sacramenti visitationis institutum, numquam caelo advesperascente intermittant, siquidem ad illius nobis gratiam conciliandam, veniamque impetrandam, tanto efficacius id praesidium esse videtur, quanto a pluribus eodem tempore, eodem loco, eadem mente, eademque voce commune obsequium exhibetur. Atque ut caelesti Sacramento caelestes honores singulis etiam mensibus tribuantur, et iugiter in cordibus fidelium memoria aeternae il-

lius charitatis recolatur, maximopere etiam curent Parochi, ut Dominica tertia cuiusque mensis solemni pompa per Ecclesiae ambitum ex veteri item instituto circumducatur.

CAPUT V.

De Sacramento Poenitentiae.

Vetustate labis per lavacrum regenerationis expurgata, iam in nobis vivit qui pro nostra salute, quum Deus esset, homo fieri dignatus est Christus Iesus. Quum autem vita haec, quamdiu in terrena peregrinatione moramur, pugna sit adversus potestates, et principatus tenebrarum harum, infunditur ideo nobis in Confirmationis Sacramento Spiritus Sanctus, cuius virtute stare fortiter in bello possimus. Attamen ne vires in colluctatione deficerent, caro ipsa Dei, et Domini nostri in cibum, et sanguis in potum nobis in Eucharistiae Sacramento praebetur. Sed quum saepe contingat, ut in pugna sauciati ruamus, et quam nacti sumus in baptismo, vita excidamus, noluit benignus, et misericors Dominus de venia nos desperari, quin remedium proposuit potnetissimum, quo rursus erigeremur. Quam ob rem sicut Baptismus intrantium, Confirmatio pugnantium, Eucharistia vires resumentium, ita Poenitentia resurgentium Sacramentum dici potest, cu-

ius virtute de peccati morte ad gratiae vitam revocamur.

I. Quum ex adultis pauci fere sint, qui Baptismi gratiam diu integram servent, sedulo adnitantur animarum Curatores, ut Christi fideles, per alteram hanc de naufragio tabulam, ad aeternae salutis portum evadant. Operam attamen omnem adhibeant, ut probe cuncti sciant, quam enixe verae poenitentiae gratia sit ipsis a Deo imploranda, quam adcurate conscientiam suam discutere; quo intimo cordis dolore commissa delicta deflere; quo firmo voluntatis proposito novam vitae rationem inire; qua humili confessione proprios reatus Sacerdoti detegere; quanta fidelitate iustam Deo satisfactionem persolvere teneantur, ut in suam redeant gratiam.

II. Pari sedulitate crebro plebem Christianam hortentur, ut non Paschali tantum tempore, sed quam frequentissime per annum, ac solemnioribus praesertim Festis redeuntibus, ad Poenitentiae Sacramentum accedant; inclamentque continuo, ut ubi quis se lethali vinctum crimine sentiat, non diutius, damno propriae salutis gravissimo, suam protrahat confessionem.

III. Moneant etiam fideles, ut Sacerdotem Dei ipsius vices gerentem pro confessione peccatorum adeuntes, eam praeferant in vultu, in habitu, in totius corporis compositione modestiam, quae reos, et supplices decet, ut viri positis ar-

mis, ut mulieres velato capite in spiritu humilitatis procumbant.

VI. Quum inanes, ac irritae sint quae absque iurisdictionis potestate impertiuntur absolutiones, qui praeterquam si extrema necessitas urgeat, poenitentis nempe morte instante, absque nostra scripta facultate confessiones excipere, atque a peccatis absolvere adtentaverit, facto ipso, excommunicationis poena se teneri ex Tridentino Concilio intelligat, praeter alias albitram nostro irrogandas.

V. Caveant omnino Sacerdotes sive saeculares, sive regulares, ne traditae sibi iurisdictionis fines praetergrediantur, sciantque, se absolvendi potestate carere in casibus, quos sibi Archiepiscopus reservavit, nisi eam peculiari concessione ab eodemmet acceperint, tametsi amplissimis a sede Apostolica privilegiis donati sint absolvendi a peccatis, et censuris summo Pontifici reservatis; quemadmodum Clementis X. Constitutione, quae incipit *In superna*, definitum est: *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis*; *non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere*, nec non aliis etiam Summorum Pontificum constitutionibus, et Apostolicis litteris, ac decretis sancitum.

VI. Temporis spatium, in litteris comprobationis praestitutum, ne intercidere ante patiantur, quam sit confirmata facultas. Quae tamen numquam prorogabitur, nisi certo constet, in doctrina morum

se esse adsidue versatos, et sedulam collationibus casuum conscientiae operam navasse, ne eorum, quae adprime tenenda sunt, vel inscitia, vel oblivione, et suam, et populi salutem in discrimen adducant.

VII. Quum Ecclesia sit proprius Sacramenti ministrandi locus, in privatis aedibus, nisi ob aegritudinem, confessiones ne audiantur. Sedes vero confessionales aperto, et conspicuo loco constituantur, et quidem sera, clavique ab anteriori parte occludantur, ut ubi absit Confessor, nemo considere, vel dormitare inibi possit. Fenestellis autem laminae inhaereant ferreae, firmiter clavis confixae, et crebris, angustisque foraminibus ita perterebratae, ut voci tantum, non oculis sint perviae. Intrinsecus tabula casuum reservatorum adglutinetur, exterius vero hinc inde imago Christi crucifixi typis aeneis excusa, ut eius adspectu ad pietatem excitentur poenitentes.

VIII. Extra Ecclesiam, et extra hanc sedem quicumque vel saecularis, vel regularis Sacerdos mulierem cuiuscumque aetatis, vel conditionis confitentem audierit, a divinis facto ipso sit suspensus. Sed ne in Ecclesia quidem mulierem quamcumque, et cuiuscumque aetatis, admitti ad confessionem volumus, vel mane ante ortum solis, vel vesperi post occasum. Quod si poenitentium frequentia secus postulet, quod passim in Missionibus contingit, tunc e regione sedis fax colluceat,

ut qui circumstant possint internosci. Domi si quando aegrotantis foeminae sit excipienda confessio, cubiculi ostium ita pateat, ut videri Sacerdos, non audiri ab aliis possit.

IX. Ne quid ad augendam huius Sacramenti venerationem desit, iubemus neminem ex Sacerdotibus umquam ad confessionalem sedem accedere, nisi talari veste indutum, et Sacerdotali bireto sub poena suspensionis a divinis. Hortamur autem enixe omnes in Domino, ut Sacramenti administrationem non ante auspicentur, quam ad altare aliquantisper prostrati divinam opem sibi, et poenitentibus imploraverint.

X. In spiritu mansuetudinis, et paterna charitate poenitentes excipiat, eosque atrocia quantumvis fatentes aequo animo audiat, ut pudore excusso, animae suae vulnera omnia libere aperiant. Quum vero cuncta sint denudata, nihilque patefaciendum remaneat, tunc eorum turpitudinem retegere satagat, et hinc metu poenarum ad anteactae vitae dolorem, hinc divinae clementiae magnitudine ad Dei amorem eosdem incitare, atque accendere conetur.

XI. In feminarum audiendis confessionibus modestiam exhibeat perquam singularem. A percunctationibus, et interrogationibus, nisi sint adprime necessariae, omnino abstineat. Circumstantias, nisi quae peccati naturam variant, nec exquirat, nec effari eas patiatur. Nihil elicere, ni-

hil expiscare ab iis studeat. Non criminis socios ab iisdem exposcat, quin eorum nomina reticenda moneat (1). Insitam feminis loquacitatem non provocet, sed ultro a prolixis narrationibus, plerumque supervacuis, et abs re, et proposito aberrantibus cohibeat.

XII. Quoad pueros, plurimum in Domino Sacerdotes obtestamur, ut quam maxime adtendant, ne imprudentibus interrogationibus, et nimia explorandi subtilitate, ignotas antea peccandi vias iis commonstrent, et incaute peccare potius eos doceant, quam peccata refugere.

XIII. Id vero ab ipso statim initio cognoscere Sacerdos de poenitente studeat, qui eius sit status, quae conditio, quae vitae ratio. Mox quam pridem sit confessus exquirat, et an rite, et integre, et si irrogatam impleverit poenitentiam; tum vero an diligentem in recolendis, atque in mentem revocandis delictis suis curam adhibuerit, doloremque animo conceperit summum. Nec praetermittat quemque ex rudibus praesertim interrogare, an Fidei rudimenta calleat, Dominicam nempe orationem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, et Decalogi praecepta, tum quoque si thelogicarum virtutum fidei, spei, et charitatis actus elicere norit.

---

(1) Benedict. XIV. Constit. et lit. ap. die VII. Julii MDCCXLV. die II. Junii MDCCXLVI. die IX. Decembris MDCCXLIX.

XIV. Peccatorum numerum, nedum adiuncta, quae vel mutant speciem, vel pravitatem augent, mature exploret. Tum si aliquo excommunicationis vinculo constringantur. Si cui rem abstulerint, vel existimationem, famamque laeserint, et restitutionis, aut reparationis faciendae obligatione vinciantur. Si prava aliqua consuetudine peccati teneantur, vel sint recidivi, vel in proxima peccandi occasione versentur, in qua nimirum positi verisimiliter censentur peccaturi. Si Parentes filios, et Domini famulos, ut Christianae doctrinae praeceptis imbuantur, curam omnem adhibeant.

XV. Nullatenus absolvat qui divina mysteria ignorant, quorum fides explicita necessaria est ad salutem (1): qui quum facultatem habeant aliena restituendi, tametsi admoniti, praestare neglexerint, praeterquam si gravi, ac periculoso morbo laborent, a quibus satis erit exigere, ut quod debent, quum primum poterunt, reddant: qui apud iudicem falsum testimonium iurati in alterum dixerint, eiusque fortunas, famamque iniuste perverterint, nisi prius damno illato, quatenus id sarciri poterint, et violatae existimationi satisfecerint: qui egentes, et necessitate compulsos, foenore, et iniustis contractibus, pactionibusque damnosis exhauriunt, nisi ex sacrorum canonum praescripto debita restitutio, aut satisfactio intercesserit: qui

(1) Innocentius XI. *Prop. damnat.* LXIV.

prava peccandi consuetudine tenentur, vel sunt recidivi, vel in proxima peccandi occasione positi, nisi satis certum sincerae emendationis exhibuerint argumentum.

XVI. Ubi prorogari confitentibus absolutionem necesse erit, eos non aspere, acerbeque dimittant, nec severa respuant increpatione, ne a Sacramento abalienentur, sed placidis, lenibusque verbis, et sincero commiserationis adfectu moneant, ut gravissimum, in quo versantur periculum, serio animadvertant, et divitias bonitatis, patientiae, et longanimitatis Dei contemnere desinant. Hinc illos, quid agere, quid vitare oporteat, ut se ad gratiam in Sacramento recipiendam comparent, consiliis adiuvet, ac tum demum ad se redire iussos dimittat.

XVII. In decernendis poenitentiis modum teneat, et gravitate peccatorum aestimata, et cuiusque poenitentis animo, ingenio, et statu perpenso videat, ne nimia facilitate levem adeo irroget poenam, ut licentiores, pronioresque illi ad peccandum efficiantur, et ipse se alienorum criminum reum faciat, neve nimia severitate deterreat, et in desperationem adducat. Quapropter canones poenitentiales continuo prae oculis habeat, tum ut ex iis certius statuere possit, quae cuique peccato sit potius aptanda poenitentia, tum ut poenitentes ipsi, a Confessoribus de prisca severitate edocti, eo diligentius se a peccando absti-

neant, quo benignius nunc cum iis agit pia mater Ecclesia.

XVIII. Quos publicum aliquod crimen, quod publicae offensionis, scandalive occasionem aliis praebuerit, perpetrasse cognoverit, eis condignam poenitentiam publice etiam peragendam iniungat, quemadmodum Tridentino Concilio cautum est, ut quorum animos audaciae, ac sceleris exemplo instigarunt, eos ipsos, emendationis, et poenitentiae exemplo item dato, demulceant. Nec Confessorum quisquam hanc meritos poenam secus audeat absolvere. Qui aliter egisse deprehensus fuerit, graviter punietur, nisi consulto, ac iusta sane de caussa publicam in privatam aliam poenitentiam commutare iudicaverimus.

XIX. Antequam absolutionem poenitenti impertiat, adcurate Sacerdos internoscat, an veram peccatorum suorum habeat contritionem, atque certum, statutumque ei sit in posterum, quantum in se est, divina gratia iuvante, a peccatis abstinere, et quae antea perpetraverit, pro iis satisfactionem dare. Si contritionem huiusmodi non habere illum intellexerit, ut eius desiderio accendatur, modis omnibus connitatur, efficiatque, ut usque adeo quantum potest, suis propter Deum indoleat peccatis.

XX. Hinc opportunis consiliis, cohortationibusque poenitentes moneat, ut declinent a malo, et faciant bonum; ut ad Sanctissima Sacramenta

Poenitentiae, et Eucharistiae quam frequenter accedant; ut orationibus instent, et sacrosancta religionis mysteria meditentur; ut sacrificio Missae quotidie, quoad possunt, interesse conentur; ut quod ore fatentur dignis operibus impleant; ut improborum societatem devitent, nec umquam cum iis consuetudinem, familiaritatemque ineant.

XXI. Restitutionibus, quas parati sunt facere poenitentes, se omnino non intermisceat. Quae si occulte aliter, quam per ipsum Confessarium, fieri nequeant, tunc tantum non se recuset. Id autem caute adeo ipsi praestet, ut ab eo, cui quid restituerit, chirographum accipiat, poenitenti protinus reddendum. Si autem Confessarius, depositum ultra triduum ei, cui rogatus fuerit exhibere, dolose distulerit, tunc ipso facto a divinis sit suspensus. Quoad restitutiones incertas, quae propterea pauperibus, vel Ecclesiae, vel in alios pios usus sunt erogandae, non sibimet, nec suae Ecclesiae, vel conventui, Confessarius fieri iniungat, vel suadeat, sed poenitentium arbitrio relinquat.

XXII. Si quis quidpiam a poenitentibus, sive verbis, sive signis, caussa, et intuitu confessionis petat, suspensionis poenam ab audiendis confessionibus eo ipso incurrat. Sub eadem poena praecipimus, ut si quando vel delictorum, vel ipsa poenitentis ratio poscere videatur, ut ei eleemo-

syniarum erogatio imperetur, illas Confessor pio alicui usui adscribi, distribuive, neutiquam tamen ad se deferri, iubeat, neque eas vel tradendi, vel distribuendi ipse sibi negotium suscipiat. Pari modo si forte quid praebendum ad divina Sacrificia, Missasque celebrandas fuerit, neque Missas ipsas, neque curam earum ullam mandari sibi patiatur, sed rem totam poenitenti ipsi relinquat, ut penitus omnem a se cupiditatis avertat suspicionem.

XXIII. Omnino non audeat Sacerdos, etiamsi animarum Rector fuerit, suis poenitentibus vel prohibere, vel coarctare accessum ad alios Confessarios, eorumque libertatem quomodolibet sive praeceptis, sive consiliis coangustare sub poena excommunicationis latae sententiae. Praeterea si poenitentium mulierum adire domos, etiam spiritualis institutionis praetextu, sibi permittat, gravissimas arbitratu nostro dabit poenas.

XXIV. Vota poenitentium commutandi, si quando data sibi fuerit potestas, omnino vel in potiora pietatis opera, quae Deo grata magis futura sunt, vel saltem in aeque pia, et Deo placentia commutet. Qua quidem in commutatione rationem ducat, quam diligentissimam, laboris, incommodi, et sumptus, quos poenitens in voto persolvendo fuisset perpessurus.

XXV. Constitutiones Gregorii XV. et Benedicti XIV. contra sollicitantes in confessione ad turpia at-

tento animo perlegat (1); sciatque nemini ex Sacerdotibus, quantalibet auctoritate, et iurisdictione praedito, inesse facultatem absolvendi conscium, seu participem in peccato turpi contra sextum praeceptum a se perpetrato: adeo ut irrita, et inanis prorsus futura sit, quam impertierit, absolutio. Ad haec, qui socium in eiusmodi peccato, etiam in ipso mortis articulo constitutum, absolverit (si tamen Sacerdos alter sive adprobatus, sive non adprobatus haberi possit, qui morienti subveniat), excommunicatione maiori illico irretitum se noverit, a qua nonnisi per Summum Pontificem, praeterquam in imminenti mortis periculo, sit absolvendus.

XXVI. Ad infirmorum confessiones audiendas adciti, maximopere studeant, ut anteactae vitae culpas isti recenseant, et sincero abstergant dolore. Confessione autem audita, vel Parochum e vestigio commonefaciant, vel scriptum testimonium in aedibus infirmi relinquant, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus.

XXVII. Caveant Sacerdotes, sive saeculares, sive regulares, ne infirmorum animos quocumque modo, sive prece, sive cohortatione lacessant, ut sibi, suis, aut sui ordinis Ecclesiis legata relin-

---

(1) Gregor. XV. Constit. *Universi gregis* die xxx. Aug MDCXXII. Benedictus XIV. Const. XX. *Sacramentum Poenitentiae.*

quant. Si secus egerint, Parochi a divinis, ceteri ab audiendis confessionibus sint ipso facto suspensi.

XXVIII. Medici mature moneant aegrotos, ut saluti animae suae per Sacramentalem Confessionem consulant. Quod si per triduum id agere neglexerint, vel reluctantes non deseruerint, sciant se poenas in Constitutione S. Pii V. irrogatas subituros (1). Persancte autem, sapienterque statutum id esse, sibi suadeant; tum quod saepenumero morbi radix in ipsa anima adhaeret, quae nisi per Confessorem, poenitentiamque extirpari nequit, ex Domini nostri effato illo ad languidum Evangelii: *Vade, et noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat;* tum quod, dilata in id tempus confessione, quo aeger gravius, periculosiusque se incipit habere, haud secus ac denunciatio mortis Confessio a laborantibus accipitur, quod malum omen, et quae hinc oriri solet conturbatio, anticipatione Sacramenti averruncatur.

XXIX. Sanctum, inviolatumque Sacramentale sigillum constanti, et perpetua religione custodiat Sacerdos, nec quidquam de rebus in confessione auditis directe, vel indirecte quovis vel gravissimae necessitatis praetextu, aperiant umquam,

(1) Const. Pii V. *supra gregem* die VIII. Martii MDLXVI.

temporis licet longissimi decursu. Quin etiam, si loquendi facultatem extra confessionem poenitens ultro concesserit, ea minime is utatur, nisi maximi momenti caussa urgeat, et iterata interpellatione poenitens id modis omnibus poposcerit.

CAPUT VI.

De Casibus Reservatis.

Quum ad Christiani populi disciplinam continendam, Sanctissimorum Patrum auctoritate, Conciliorumque legibus, ac maxime Tridentini Concilii (1), et perpetuo universae Ecclesiae usu obtinuerit, ut quae graviora essent peccata, non a quibusvis, sed a summis tantum Sacerdotibus absolverentur, ut ita nefariae peccandi licentiae froenum iniiciatur, Nos propterea Confessoribus omnibus nostrae Dioecesis sive saecularibus, sive regularibus interdicimus, ne quem, nisi in articulo mortis tantum, a delictis, quae Nostro hoc decreto sunt designata, absolvere audeant. Poeni-

(1) *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* Concil. Trident. *Sess. XIV. de Sacram. Poenit. Can. XI.* et *Sess. ead. C. VII.* decrevit: *nullius momenti absolutionem eam esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

tentes ideo, ubi his criminibus illigatos offenderint, ad Nos reiiciant, aut si renuerint, nominibus suppressis, facinora ipsa Nobis significent, et voluntate nostra accepta, tum demum, iniuncta, quam decreverimus, poenitentia, absolutionem iis impertiant.

Casus reservati, quibus est adnexa excommunicatio.

I. Sortilegi, incantatores, venefici, qui expresse daemones invocant, vel Sacramentis, sacrisque rebus abutuntur.

II. Abortum tentantes, effectu licet non sequuto.

III. Falsum deponentes in iudicio cum damno alterius. Inducentes item ad falsum deponendum, vel falsis testibus, scripturisque utentes.

IV. Colloquentes cum monialibus, vel alia de iis, quae vitam intra Monasterii claustrum degunt, absque nostra facultate, nisi in primo, vel secundo consanguinitatis gradu sint coniuncti. Item qui cum iisdem de re non pudica egerint, quocumque modo, etiam voce, vel scripto.

V. Sponsi, et sponsae, qui post contracta sponsalia, et ante matrimonium legitime celebratum, se cognoverint. Item parentes, consanguinei, adfines id permittentes.

VI. Concubinarii, nisi, facta reali separatione, per tres menses se continuerint.

VII. Occultantes, et retinentes bona Ecclesiae, vel scripturas ad Ecclesiam pertinentes.

VIII. Libellos famosos, anonimasque litteras exarantes, adfigentes, evulgantes.

Casus reservati absque censura.

I. Blasphemantes Deum, Christum Dominum, et SS. Virginem Mariam post tertiam vicem. Semel etiam, si coram pluribus supra quatuor.

II. Homicidium sponte perpetrantes. Mandantes item, consulentes, cooperantes.

III. Peccantes contra naturam. Coeuntes cum bestiis. Stuprum per vim virgini inferentes. Incestuosi in primo, aut secundo consanguinitatis, vel adfinitatis gradu.

IV. Parentum percussores, eorumve vitae insidias molientes.

V. Parentes, aut nutrices dormientes cum infantibus, qui annum non dum expleverint.

VI. Incendiarii, et qui damni, iniuriaeve caussa, vites, vel arbores alienas inciderint, vel animalia occiderint. Item mandantes, consulentes, cooperantes.

VII. Publici festorum violatores post tres vices.

VIII. Mulier, capite non velato, Ecclesiam ingressa, si tertio monita non paruerit.

CAPUT VII.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Quemadmodum Baptismus ingredientium in vitam, ita Extrema Unctio Sacramentum est de hac vita migrantium. Illo, ubi vitam ingredimur, abluti expiamur, hoc quum e vita egredimur delibuti munimur. Quamvis enim teterrimus ille humani generis hostis, qui homicida fuit ab initio, nullum ab insidiis vitae tempus relinquat vacuum, eo tamen acrius, vehementiusque nos invadit, infestamque suam excrit vim, quum migraturi e vita postremum agimus spiritum, ut si qua fraude nos in arcto capere possit, nullum e faucibus eius evadendi supersit intervallum. At Dei benignitas noluit in extremo periculo nostro adversus tam immanem, et veternosum hostem sua nos ope destitutos, sed Sacramentum Unctionis suae exhibuit nobis, quae ad acerbam adeo pugnam ineundam, sustinendamque, vires, animumque suppeditat, atque arma ministrat, quibus impetum illius frangamus, et repellamus.

I. Quare omnem pietatem, omnemque solicitudinem Curatores animarum in eo ministrando adhibeant, nec alia in re eorum charitas eluceat magis, quam quum, suprema instante hora, praesentius est periculum. Atque ne quem contingat, in tam ardua lucta eo praesidio destitutum dece-

dere, frequenter de hoc Sacramento verba faciant ad populum, eiusque vim atque virtutes, et fructus adcurate expenant, tum ut Fideles, cum primum in extremo vitae discrimine versantur, id petere meminerint; tum ut supremi illius diei recordatione, qua nihil est ad coercendas cupiditates validius, vitam suam recte instituant.

II. Studeat Parochus Unctionem istam aegrotis mature adhibere. Quapropter, ubi periculose aliquem decumbere noverit, non expectet ut arcessatur, nec ulla, aut loci distantia, aut caeli inclementia, aut viarum asperitate deterreatur, quominus suppetias illi per hoc Sacramentum adferat. Ut enim nemini, nisi in mortis articulo est ministrandum, ita nec iis praebendum, quibus non adhuc integra mens constat, et ratio. Quod si aegrotus, ingravescentis morbi vi subito correptus, rationis sensum amiserit, modo id ante petierit, vel pii animi significatione se hoc Sacramentum expetiturum ostenderit, rite is inungatur licet.

III. At vero Sacramentum ministraturus, superpelliceo, et stola indutus, Sacri olei vasculum, serico violacei coloris sacculo inclusum deferat, quod sericis item vinculis connexum collo suspendat. Sibi ministrantem saltem unum ex clericis ducat, qui manu altera Crucifixum, altera vero aquam benedictam, et rituum libellum praeferat. Quum ad aegrotum accesserit pie, suaviterque illum soletur, moneatque, ut mentem a terrenis curis ad

caelestis vitae, ac beatitudinis desiderium erigat; ut, abiecto mortis metu, spem omnem in Iesu Christi sanguine conlocet, laeteturque, se in domum Domini iturum, ubi lux inhabitat aeterna. Nec his addere praetermittat, prodesse Sacramentum hoc non ad animae tantum, sed ad corporis etiam languores levandos, morbumque ipsum propulsandum, si ita saluti animae conducere divinae bonitati visum fuerit. Demum omnes, qui qui aderunt, impellat, cohorteturque, ut aegrotum precibus, orationibusque in eo summo discrimine iuvent.

IV. Si quando Sanctissimam Eucharistiam ad infirmum adferens Parochus, intellexerit gravius, et periculosius laborare eum, quam ut, redeundi tempus sibi adfuturum ad sacrum oleum accipiendum, ministrandumque, speret, tunc ne mors ante unctionem occupet aegrum, aut vis morbi sensus obruat, una cum ipsa Eucharistia sacrum quoque oleum secum deferat, et post praebitam aegro divinam Hostiam, extremam quoque unctionem, si res postulare videatur, ministrabit. Caveat tamen, ne laboris fortasse declinandi caussa id umquam extra mortis periculum agat.

V. Unctionis extremae oleo non ungantur pueri, qui non dum rationis usum habent, nec amentes, nec furiosi, quibus nullum adfulget dilucidum rationis intervallum; neque senes, devexa quantumvis aetate, si recte valeant, contra vero si etiam leviter aegrotent; neque excommunicati,

interdicti, vel desperati homines, qui nullum poenitentiae ediderint signum; neque foeneratores, et notorie criminosi, et quibus Ecclesiastica sepultura est interdictum; neque qui ultimo supplicio damnati sunt, vel procellosam navigationem, periculosamque pugnam sunt suscepturi.

VI. Quum ad Sacramentum perficiendum renes ungere necessarium non sit, omnino id in mulieribus praetermitti iubemus. Si cui vero forte manus amputata, oculus erutus, naresque, aut aures praecisae sint, aliave corporis pars, ex iis quae ungi solent, quavis ratione deerit, pars quae proxima est, illa inungatur. Si de Presbytero res erit, attendatur et id, ut non interior pars manus, quae utique in Ordinis susceptione uncta iam fuit, sed exterior ungatur.

VII. Semel laboranti adhibita Unctio, eodem morbo quantumlibet diuturno non iteretur. Si tamen aeger convaluerit, quoties in novum vitae discrimen inciderit, toties ei impertiendum huius Sacramenti praesidium erit.

VIII. Ne quid adiumenti desit his, qui supremo occasui propiores, iam iam viventis Dei vultum sunt subituri, Parochis omnibus facultatem impertiendi benedictionem in articulo mortis cum plenaria indulgentia delegamus. Quod si ipsi per se decedentibus nequeant opitulari, hanc ipsam facultatem communicare Sacerdoti poterunt, cui suas demandaverint partes. Eos autem enixe hor-

tamur in Domino, ne quemquam de grege ad aeternitatem proficisci sine hoc subsidio patiantur.

IX. Sacramento ministrato, si aegrum vel animam agere, vel in ipsa iam versari morte Parochus intellexerit, tum pari charitate officium pietatis suae ad finem usque prosequetur, spiritumque e corporis carceribus evadentem Deo commendabit. Si vero maneant adhuc aegro integri sensus, connitetur modis omnibus continuo eum ad coelestis vitae desiderium inflammare.

X. Postremo decretum a beatae memoriae praedecessoribus nostris Hercule de Rangonibus, et Caietano Caracciolo omnino confirmantes, *mandamus sub excommunicationis latae sententiae poena, ut quotquot fuerint in qualibet Ecclesia Sacerdotes, etiam non participantes, bini, aut singuli, prout eorum erit numerus, prope morituris alternatim adsistere, et Parochos in animarum commendatione coadiuvare semper teneantur, ne aliquem mori contingat, cui Sacerdos non adfuerit. Si quis huic decreto ex legitimo impedimento dixerit non paruisse, donec id coram nobis probaverit, supradicto sententiae vinculo maneat irretitus* (1).

(1) Synod. Compsana Herculis de Rangonibus edit. Rom. 1649. Syn. Comps. Caietani Caraccioli edit. Neap. 1686.

CAPUT VIII.

De Sacramento Ordinis.

Sacerdos in aeternum Christus Dominus, ut in Sacramentis per gratiam suam ipse nobiscum esset usque ad consummationem saeculi, et Dei Patris gloriam, perpetua quadam ministrantium successione firmaret in terris, quos sanguine suo redemit, hos fecit Patri suo regnum, et Sacerdotes. Ut vero, quod de caelo descenderat Regnum, parem suae originis referret in terris imaginem, Ordinem in militanti Ecclesia, ad Ordinis instar triumphantis Ecclesiae, constituit. Quapropter, quemadmodum caelestis illa Hierusalem eo ordine est a Deo constituta, ut variis distincta gradibus, alii aliis eminentiores sint, alii in alios influant, alii alios illuminent, omnes vero administratorii spiritus sint propter eos, qui hereditatem capiunt salutis; ita quae in terris est, ordines habeat, charactere, et potestate diversos, in unum tamen omnes conspirantes ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.

I. Qui itaque in Dei exercitum, militiamque cooptari, et in sortem Domini recipi cupiunt, siquidem eo consilio ad hanc vitae rationem se convertunt, ut in sanctitate, et iustitia Deo inserviant, eiusque gloriam, et populi salutem impensius curent, contendant quam maxime, ut inno-

centia, pietate, et adsiduo rerum humanarum, divinarumque studio, dignos se Ecclesiasticis ministeriis exhibeant.

II. Duobus saltem mensibus, ante diem ordinationibus praefinitum, monumenta proferant, quibus probent, se omnia praestitisse, quae sunt a Nobis peculiari edicto mandata. Attestationes porro dehinc in scriptis exhibeant, quibus fides adstruatur de legitima aetate, de morum integritate, de frequenti Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae susceptione, de ministerio adsidue in divinis officiis exhibito, de titulo beneficii, aut patrimonii ad novissimae Concordiae normam inter Summum Pontificem Pium VII. et Regem Ferdinandum, et ad aestimationem item dioecesanam annui reditus ducatorum quinquaginta, ac demum de proclamationibus rite peractis per tres dies festos, ut nihil obstare constet, quominus digni iudicentur, qui ad Superiorum Ordinum gradum provehantur.

III. Qui, facto coram Nobis doctrinae periculo, probati, receptique fuerint, e vestigio, quacumque deposita cura, in Collegium Sacerdotum Sanctissimi Redemptoris, a Praedecessoribus nostris in hac Dioecesi fundatum, spatio saltem decem dierum secedant, quo aeternarum rerum vacent contemplationi.

IV. In promulgandis ex altari provehendorum nominibus, exponant Parochi fidelibus, quam gra-

vis, et periculosa res sit, de qua agitur, quas dotes Ecclesia in suis postulet ministris, et quantopere intersit, indignos non adsumi ad ordines, ut si quid noverint, quod adsumendis adversetur, id sibi, aut Archiepiscopo summa religione patefaciant.

V. Nec omittant Dominico die, qui proxime quatuor stata ieiunii tempora antecedit, populum cohortari, ut ad ieiunium, eius rei caussa praesertim institutum, preces, et supplicationes adiungant, tum ut in eorum delectu, qui sunt adsciscendi ad ordines, mens nostra spiritus Sancti lumine illustretur, tum ut qui adsciti fuerint, divina gratia adiuti, muneris sui partes fideliter impleant in laudem, et gloriam Dei, et Ecclesiae aedificationem.

VI. Ut disciplina Ecclesiastica in nostra dioecesi reflorescat, et augeatur, synodali hoc decreto prohibitos Ordinum aditu declaramus, qui in Seminarii aedes, ea de caussa a Nobis in utraque dioecesi, laxatis longe lateque spatiis, amplificatas, se recipere, et inibi clericale tyrocinium ad Sacerdotium usque perficere detrectant.

VII. Si cui sacris initiando, iusta et gravissima aliqua de caussa, facta fuerit a Nobis potestas extra Seminarium morandi, curae erit Parochis, et Vicariis nostris foraneis, ut clericalem vestem, cultumque semel adsumptum, perpetuo teneant isti, nec sine eo in publicum umquam,

quovis pretextu, prodeant; ut se confessionis sacramento quam frequenter procurent, et animo rite expiato Corpus Dominicum bis saltem singulis mensibus participent; ut in Parochiali Ecclesia, cui sunt adscripti, Clericalia munia, ut iussi fuerint, sedulo, scienterque obeant, nec humilia quaeque devitent: suasi in domo Dei illos excellere, qui se magis demittunt; ut quotidie in publica sanctissimi Sacramenti visitatione intersint, et altari inserviant; ut quum Eucharistiae Sacramentum ad aegrotos pro salutari viatico defertur, primi omnium ipsi Ecclesiam adeant, et superpelliceo induti debitum Deo honorem in Sacramento deducendo, reducendoque tribuant; ut singulis diebus Dominicis, et Festis, quotidie vero Quadragesimae, et sacri Adventus tempore, stata hora ad Campanae signum in Ecclesiam item conveniant, ut rudimenta Fidei pueros edoceant; ut litterarum, ecclesiasticarumque rerum studiis, exercitationibusque operam navent perquam diligentem, nec alios audiant praeceptores, quam qui a Nobis fuerint designati. Quae ubi praestiterint, nec obstare quidquam iis, quo minus ad Ordines provehi posse intellexerint, tum demum de cuiusque merito, pro sua religione, atque conscientia iuratum de singulis hisce rebus testimonium nobis tradant. Quae sane communia volumus etiam Seminarii alumnis, ubi feriarum tempore domi apud suos agunt. Quod si quid in eo ementiti fuerint

testimonio, severis arbitratu nostro adficientur poenis, Deo graviores repensuri.

VIII. Regulares, qui intra fines Dioecesis sunt, et quibus ex Constitutione Leonis X. alienum Episcopum, ut ab eo ad ordines promoveantur, arcessere vetitum est (1), octiduo saltem ante ordinationis diem, litteras Praepositorum suorum, quibus factam sibi suscipiendi ordinis potestatem constet, Nobis adferant, ut vitae, morumque ratione explorata, et instituto per nos, examinatoresque nostros ingenii experimento (2), omni metu liberemur, ne manus super indignos, vel parum idoneos imponamus.

IX. Si Regulares, ordinationis tempore adventante, per fraudem in alienam Dioecesim commigrent, confisi vel nullum, vel leviusculum examen subituros; vel si reprobati a Nobis ad alienam se Dioecesim transferant, ut ibi ordinentur, sciant non tantum sic in fraudem ordinatos, quam eorum Praepositos ad id cooperantes, in poenas incidisse decreti Clementis VII. (3).

---

(1) Leo X. Const. XXII. *Dum intra.* Innocentius XIII. Const. *Apostolici Ministerii*, confirmata per Bened. XIII.

(2) Conc. Trid. *Sess.XXIII. C. XII.* Leo X. Const. cit. Clemens VIII. *Decr. gen.* 15. Maii 1596. Sacra Congr. Conc. 14. Martii 1620.

(3) Clem. VIII. Decr. cit. Vide Syn. Fulg. an. 1722. cap.XI.

CAPUT IX.

De Sacramento Matrimonii.

Ut Ordinis, ita et Matrimonii Sacramentum non ad suscipientium sanctificationem tantum, quod cuiuslibet Sacramenti est proprium, sed ad commune Christianae Universitatis bonum, utilitatemque, est institutum. Per Ordinem enim sacri constituuntur ministri, qui Sacramentis nos gignunt, pascunt, roborant, sanant; per Matrimonium vero legitimo fideles coniugii foedere iuncti filios procreant, educant, pascunt, regunt, ut Divinae Religionis, et veri Numinis cultores propagentur, augeanturque, et numquam successio in Ecclesia deficiat (1).

I. Non ante Parochus ad Matrimonii denunciationem se paret, quam a mari primum, et a femina seorsum, et adcurata percunctatione cognoscat, an ex animo in futurum consentiant foedus, num sponte, et libera voluntate, an metu, vel vi compulsi id sibi proposuerint. Quod si in diversis habitent Paroeciis, uniuscuiusque Parochus

(1) Multa nos de hoc Sacramento adversus huius saeculi novatores, peculiari libro, pro nostrae pastoralis sollicitudinis debito disputavimus, quae adprime in Domino optaremus, ne animarum curatores, qui et ipsi populorum institutores sunt, ignorarent. Vide nostram *Apolog. Cath. de Matrim. Christ. adver. Attellium.* Neap. MDCCCXV.

idem agat, et nisi alter ab altero certior ante factus de libero illius proposito, qui suae subiacet curae, nemo denunciet.

II. Pari videat diligentia, si quo forte propinquitatis gradu coniuncti sint, qui matrimonii vinculo constringi volunt, aut aetate non legitima, vel quovis alio iusto impedimento detineantur.

III. Si de filiis familias res sit, adprime de Parentum voluntate sciscitetur Parochus, quae si forte desideratur, omnino eos adigat, ut in quorum potestate sunt, debitum parentibus honoris officium, observantiamque tribuant, ne invitis hisce, vel adversantibus rem tanti momenti adgrediantur. Quod si iniuste renuere parentes noverit, vel sua prudentia ipse efficiat, vel amicorum, propinquorumque opera utatur, ut adsentiantur. Interea tamen, nisi re nobiscum communicata, a conciliandis istiusmodi nuptiis, quamdiu parentum consensus desideratur, abstineat.

IV. Exploret insuper, ubi necesse erit, recte ne calleant orationem Dominicam, Salutationem angelicam, et Symbolum Apostolorum, tum si rudimenta Fidei, et praecepta Decalogi, et Ecclesiae sciant, et nisi satis repererint edoctos, denunciationes differat (1).

V. Quum nihil obstare videatur, quominus Matrimonium populo denuncietur, eos efficaci sermone

(1) Benedict. XIV. Const. 42. die VII. Feb. MDCCXL.

hortetur, ut periculosam familiaritatem devitent, ut nulla, semotis arbitris, habeant inter se colloquia; tum etiam ut orationibus, ieiuniis, aliisque piis operibus se se ad Sacramentum suscipiendum pura mente comparent, quo ampliora divinae gratiae dona percipiant.

VI. Denunciationes, a Sacro Concilio Tridentino (1) statutae, tribus ordine festis diebus, dum frequentior erit populus, inter Missarum solemnia publice habeantur; intercedatque dies saltem unus inter unam, et alteram, et inter tertiam, et matrimonium. Si Sponsi eiusdem nostrae Dioecesis fuerint, non vero eiusdem Paroeciae, in utraque eorum nomina evulgentur. Si in diversis nostrae Dioecesis locis per quatuor continuos menses habitaverint, trinae in uniuscuiusque loci Ecclesia praemittantur denunciationes; nec Parochus suum ante obeat officium, quam ab altero quoque Parocho rite factas denunciationes, ex eius litteris, quas diligenter conservabit, probe cognoverit.

VII. Peregrini, advenae, et nulla certa sede vagantes, tum qui per quadrimestre intervallum a Dioecesi Nostra abfuerint, nisi status sui libertatem Vicario Nostro generali per litteras probaverint, Ordinarii locorum auctoritate roboratas, et nisi scriptam facultatem a Nobis impetraverint, eorum matrimonia Parochi populo numquam pro-

(1) Conc. Trid. *Sess.* 24. *de Reform. c.* 2.

mulgent. Non abs re esse censemus hoc addere loco, quod si quis peregrinus, aut advena in alicuius Parochiam habitatum commigraverit, feminamque secum, coniugis nomine, duxerit, curent Parochi, ut intra certum tempus, testatum ille faciat, mulierem iusto sibi matrimonio coniunctam esse. Quod si rem ieiune probaverit, pro concubinario habeatur, remque ipsam nobiscum communicent.

VIII. Si de viduis agatur, et vir, vel mulier priorem coniugem procul a Dioecesi obiisse adfirment, tametsi suae libertatis haud dubia dederint argumenta, Parochus nuptias non proclamet, nisi re Nobis renunciata, ut quid sit agendum mature statuamus. Si secus egerit, gravissimas arbitratu nostro dabit poenas.

IX. Ubi impedimentum aliquod dirimens quomodocumque fuerit detectum, a denunciationibus habendis, nuptiisque celebrandis desistat Parochus; et si dolo, vel fraude obiectum id praesumpserit, non ultra progrediatur, nisi re nobis patefacta. Is tamen, qui, talia audendo, sibi animo suaserit matrimonii libertatem impedire, sit ipso facto excommunicatus. Alia iam ante sponsalia, si quando inita obiiciantur, partes componere studeat Parochus, nisi se nobis sistere malint, nec quid aliud interim agat.

X. Sponsorum nominibus ter promulgatis, si nihil nunciatum fuerit impedimenti, et unius sal-

tem diei intercesserit spatium, Parochi, facultate a nobis in scriptis accepta, eos, si tamen sacra Confessione, et Sanctissimae Eucharistiae perceptione se procuraverint, sacro connubii vinculo nectant. Quod si matrimonium ultra duos menses protrahatur, ab integro fiant denunciationes.

XI. Sponsi, et sponsae, post contracta sponsalia, et ante matrimonium legitime celebratum, una concubentes, excommunicatione nobis reservata, facto ipso, plectantur. Quumque huiusmodi scelus ex improba parentum, adfiniumque indulgentia passim evenire usu compertum sit, hos omnes, et singulos, foedum facinus, cohabitationemque, pernoctationemque sinentes, eadem teneri excommunicatione decernimus.

XII. Antiquissimam consuetudinem, ut coram sponsae Parocho matrimonium celebretur, servari praecipimus: tametsi ratum habendum sit, si coram sponsi Parocho initum fuerit.

XIII. Sacerdotes, qui absque nostra facultate, vel proprii Parochi venia, nuptias celebrare ausi fuerint, a Divinis ipso facto desistant.

XIV. Nuptiae non alibi omnino, quam in Ecclesia Parochiali celebrentur, et mane dumtaxat post diluculum, nisi secus fieri iusta caussa a Nobis fuerit iudicatum. Maximopere autem optamus, ut peracto Missae Sacrificio locum habeant, ut sponsi, non modo Sacramenti, quod recipiunt, gratia,

sed etiam Sacrificii, quod pro ipsis offertur, virtute roborati, coniugalem societatem in vinculo pacis sancte, et feliciter valeant servare.

XV. Ad Ecclesiam sponsi modeste, et religiose accedant, ut decet filios sanctorum, sacrum foedus ituros. Omnino hinc prohibeat Parochus, quominus vel profana pompa, vel musicali concentu deducantur. Absoluta autem Sacramenti administratione eos hortetur, ut caste in matrimonio versentur, proposito illis Tobiae exemplo, qui morum innocentia, et sanctitate, quas a Deo imploraverat benedictiones, abunde est adsequtus.

XVI. Qui, contra quae Oecumenici Concilii Tridentini decretis sunt sancita, matrimonium furtim inire conantes, Parochum deprehenderint, vel simulato praetextu arcessiverint, eoque praesente verba *vis*, et *volo* inopinato pronunciaverint, poenam excommunicationis ipso facto incurrant, cum ipsi, tum qui data opera testes intervenerint, a qua nisi per nos numquam se extricabunt, et matrimonium tamdiu interdicto subiacebit, quamdiu iudicabimus. Parochus vero statim ad Nos eorum nomina referat, ut, re cognita, quibus poenis eorum audacia sit coercenda, videamus, ne aditus huiusmodi nefariis fraudibus amplius pateat.

XVII. Si quis, intra tempora, quibus nuptiarum solemnia ex Ecclesiae sanctione vetantur, uxorem domum traducere, convivia, epulasque agitare, aliaque eius generis facere ausus fuerit,

huic, et omnibus, quos temerarii ausi participes habuerit, Ecclesiae aditu interdictum esse facto ipso iubemus.

XVIII. Ne matrimoniorum, quae rite inita fuerint, intercidat memoria, mandamus Parochis omnibus, ut librum habeant adposite compactum, in quem singula matrimonia eo ordine adnotent, ut primum nomina, et cognomina utriusque sponsi, eorumque parentum perscribantur; deinde denunciationes ter in Ecclesia, et quibus expressis diebus evulgatae; tum ubi matrimonium fuerit peractum, et qui ea in re testes adhibiti fuerint; quae omnia sua manu subscribat Parochus, nisi alter Sacerdos, ipsius Parochi venia, aut Archiepiscopi concessu, sponsos coniungat, qui tunc propria item manu, rem ex facultate accepta scriptis tradens, suum nomen adponet.

XIX. Demum agat de hoc Sacramento persaepe Parochus in suis sermonibus ad populum, adcurateque explicet, quae sit eius natura, et sanctitas, et quo fine a Deo institutum. In id vero magnopere eius excubet cura et diligentia, ne licentiosi, impudentesque iuvenes, antequam sacrum ineant foedus, libere, et familiariter cum puellis congrediantur, vel seorsim, et remotis arbitris, una versentur, ex quo mala omnia emanare passim videmus, quibus matrimonii sanctitas violatur. Nec parentes acriter increpare umquam desinat, ut existimare nolint, districtam filiorum

rationem aliquando Deo non esse reddituros, aut eum, poenas ab iis, si quando filiorum licentiam modis omnibus non coerceant, vel filios minus caute custodiant, non expetiturum.

XX. Qui a Christiana vivendi ratione aberrantes in concubinatu per trimestre spatium perseveraverint, ipso facto excommunicationem incurrant, Nobis reservatam; a qua se nequaquam evasuros sperent, nisi ab ea peccati labe, et consuetudine, et occasione, et domicilii usu penitus abducti, clarissima emendatae vitae ediderint specimina.

XXI. Qui in gradu prohibito consanguinitatis, vel adfinitatis matrimonium scienter praesumpserit inire, etiam ex caussa fornicationis, confisi facilius se per Apostolicae Sedis auctoritatem impedimento liberatum iri, hos, lecti iussa separatione, excommunicatos publice tamdiu denunciari iubemus, donec suum humiliter agnoscentes errorem, absolutionis consequi beneficium mereantur.

XXII. Quum hominum quorumdam eo devenerit improbitas, ut omni divini timoris froeno excusso, matrimoniis, quae interpellare aliter nequiverunt, moras, impedimentaque veneficiis, et malorum daemonum ope iniicere nitantur, Nos, ut profligatos homines istos, quibus possumus poenis persequamur, decernimus, non fascinantes tantum, sed qui eos vel re, vel consilio iuverint, facto ipso excommunicationem latae sententiae incurrisse.

XXIII. Ne vero quis scelus scelere cumulet, et inde remedia petat, unde fuerit contracta aegritudo, eos qui fascinum fascino amoliri tentaverint, quum eodem se crimine obstrinxerint, eadem quoque poena latae sententiae excommunicationis teneri iubemus.

CAPUT X.

De Sacramentalibus.

I. Sacra olea studiose, diligenterque serventur in Ecclesia, loco prorsus decoro, et sericis tegumentis intrinsecus circumvestito. Clavem penes se perpetuo Parochus habeat, neque eo umquam loco relinquat, unde, se inscio, possit auferri.

II. Singulis annis renoventur, et vetera in lampadem, quae ante Sanctissimam Eucharistiam collucet, comburenda effundantur. Novis consecratis oleis caveant Parochi, ne vetera amplius adhibeant, nisi summa necessitas, et instans mortis periculum adesset; secus violati Sanctae Ecclesiae instituti poenas dabunt.

III. Non alium, quam spectatae fidei Sacerdotem, aut saltem sacris ordinibus initiatum quotannis ad sacra olea ab Sacristia Cathedralis Ecclesiae accipienda mittant. Quod si ab aliena Cathedrali ea petere audeant, suspensionem ab officio ipso facto se subituros sciant. Sacrista vero sacra

olea non ante Sacerdoti tradat, quam is suum nomen, cognomen, et diem, propria manu in libro eiusdem Cathedralis signaverit. Si quis eius rei gratia, et quovis titulo vel petit aliquid, vel datum, oblatumque acceperit, tum is qui tribuerit, tum qui acceperit, pari poena uterque animadvertetur.

IV. Videant porro Parochi, ne vitrea, vel fictilia vasa ad consecrata olea accipienda mittant, sed vel argentea, vel stamnea saltem, ne si forte frangantur, oleum non sine piaculo effundatur. Atque vasa ipsa non secus adferri iubemus, nisi in capsula fornicata, serico panno intrinsecus vestita cum sua sera, et clavi.

V. Intra annum si forte sacrum oleum deficiet, nec tempus Parocho suppetat, quo id aliunde repetere possit, licebit parum olei non consecrati consecrato admiscere, ut alterum ab altero, nempe non sacrum a sacro suam accipiat virtutem.

VI. Ceterorum Sacramentalium, seu sacratissimorum rituum usum, qui pleni mysteriorum sunt, sancte, religioseque teneant animarum Rectores, nec praetermittant data opportunitate populum docere, cui bono fuerint a primis usque Religionis primordiis ab Ecclesia instituti.

VII. Aquam lustralem singulis diebus Dominicis, divinis precibus sacrare curent, eaque ante Missam maiorem rite populum adspergant. Vase

dictionem impertiat. Caveat item, ne quod Religionis, ac pietatis caussa est institutum, in quaestum vertatur.

X. Cereorum benedictionem, dispensationemque, tum et supplicationem in festo die Purificationis Beatissimae Virginis Mariae summo religionis studio peragant Parochi, et caeremoniarum, precationumque significatione explicata, efficiant, ut populus intelligat, in mysterio rem esse positam, atque ad sanitatem animae, corporisque adprime prodesse. Praeterquam enim, quod ubicumque accenduntur, mali daemones eo sancto lumine expelluntur, dissipantur, fugantur, non minus ad Fidelium mentes divini spiritus lumine illustrandas valent, quam ad discutiendas tenebras exteriores corporale valet lumen.

XI. Quod ab ipso nostrae Religionis primordio est institutum, ut primo ineuntis quadragesimae die, Fidelium capita cinere adspergantur, omni sedulitate Parochi perficiant, et plebanos suos hortentur, ut memores humanae conditionis, et cineris, quo sunt compacti, et in quem brevi sunt resoluturi, non caput tantum, sed et animum humilitati submittant, et ad peccatorum veram poenitentiam, et dolorem, ieiuniis, et orationibus in tempore excitentur.

XII. Ut quae in Dominica Palmarum, ex longe antiquissimo Ecclesiae ritu, cum ramis olearum peragitur supplicatio, in pompae memoriam, qua

Salvator noster Hierosolymam ingressurus, eam quam de morte mox erat relaturus, praesignavit, omni pietatis studio obeatur, incumbant Parochi, ut antequam solemni prece olearum rami benedicantur, et distribuantur, intelligant Fideles, ut sicuti viridantes ramos manu ferunt, ita viridantem in iustitia, et sanctitate praeferant animum, et Triumphatori mortis obviam bonis actibus prodeant.

XIII. Infestos abigere spiritus ab energumenis, et vaferrimos illos aspides imperio persequi, opus periculosae plenum aleae est. Ideo quamvis ad hanc caelestem potestatem venerabilis Exorcistarum Ordo speciali ministerio sit in Ecclesia institutus, attamen, quia ista res humanae naturae vires longe supergreditur, sancimus, ut nemo ex Sacerdotibus, etiam regularibus, iniussu nostro, atque adeo nisi eius rei scriptam facultatem a Nobis acceperit, energumeno ulli admovere audeat manus. Si qui contra fecerit, suspensionem a divinis illico se subiturum sciat. Quod si regularis erit, ipso facto privatum perpetuo declaramus facultate excipiendi confessiones, praeter alias etiam poenas arbitratu nostro irrogandas.

XIV. Cui ista per Nos facta fuerit potestas, non alios exorcismos, quam a Sancta Romana Ecclesia traditos, ex sacrorum rituum libro adhibeat, interdicto penitus quorumcumque libellorum usu. At quum nullo humani ingenii conatu, sed sola divina virtute id opus perfici possit, furen-

tem daemonem numquam adgrediatur, nisi telo divino instructus, et armatus, Fidei nempe, quod unicum, acerrimumque iaculum est, quo prostrari possit humani generis hostis. Ut autem animus immota fide consistat, oportet ante ab omni peccati labe sit expiatus, tum ieiunio, ac multa, piaque prece calefactus.

XV. Atque maximi interest etiam, ut energumenus ipse eodem Sacramento Confessionis, et vera cordis contritione, se ab omni culpa expurget; Ut Divinam opem adsiduis precibus, piisque exercitationibus imploret, quo ab illa se miseria extricet; Ut Ecclesias frequenter adeat, maxime ubi Sanctorum Reliquiae reconduntur.

XVI. Adtendat attamen, si qui morbus, vel si qua fraus humana sub daemoniacae fraudis specie lateat. Quapropter signa omnia colligat, et collecta conferat, ut si naturae morbo eum, non vi daemonum vexari senserit, medicis curandum tradat.

XVII. Non in privatis aedibus, sed in Ecclesia, plane a Nobis designanda, exorcismi habeantur, et aperto, conspicuoque loco, nec tamen in populi conspectu, et concursu, sed viris aetate gravibus, ac probis tantum praesentibus. Si de muliere energumena res sit, longe maxima erit opus cautione, ac saltem duae adsint matronae honestissimae, nec non viri probatae item vitae, et potissimum si vel coniuncti, vel Sacerdotes sint, ceteris omnibus amotis. Caveat vero quam diligen-

tissime, ne quid fiat, dicaturque, quod non honestum, decorumque omnino sit, et nonnisi necessario, ac modestissime manum capiti, corporive illius admoveat, ne qua offensionis caussa praebeatur.

XVIII. Si quis, exorcizandi facultate abutens, ad inhonesta, et turpia, per summum, indignumque facinus, personam quamcumque provocare, adducereque audeat, potestatemque diabolo non in corpora tantum facere, sed in animas etiam, sit ipso facto excommunicatus, praeter severissimas poenas, quibus arbitratu nostro subiicietur.

XIX. Ad saevas averruncandas tempestates, nimbos, procellas, et ad noxia animalia profliganda, morbosque depellendos, non aliis precibus, ritibusque utantur Sacerdotes, quam qui in Missarum, et Rituum libro praescribuntur. Periculis autem ingruentibus, non omittat Parochus Fidelibus insistere, ut Divinam iram deprecari connitantur orationibus, ieiuniis, et sincera peccatorum detestatione.

XX. Quum ab ipsa prima Evangelii promulgatione, ad Christianae Religionis gloriam, invaluerit, ut in urbium ingressu Sacrosanctum Crucis vexillum ex marmore, vel solido alio lapide statueretur, cum in divinae misericordiae monumentum, tum in testimonium, quo peregrinis, advenis, convenisque palam fieret, adquisitionis populum ibi habitare, nihilque commune illi esse

cum Iudaeis, et Ethnicis: id moris, diu, ac perpetuo, non in urbibus tantum, sed in pagis, vicis, castellis, eo religioso exemplo passim est propagatum, ut quum aliquo plures se recepe-rint familiae, et frequentari locus incoeperit, nihil antiquius, sanctiusque incolae habuerint, quam locum statuere, in quo Crux erigeretur. Quare non sine magna animi nostri aegritudine in huiusce Dioecesis lustratione perspeximus, sive ex superiorum temporum iniquitate, sive tempesta-tum vi, vel vetustate ipsa, huiusmodi columnas alicubi non raro deiectas, nullumque sibi Univer-sitatum administratores adiecisse animum, ut re-stituerentur. Quapropter hoc nostro Synodali de-creto iubemus, animarum Curatores, intra seme-stre intervallum, omnem curam, operamque suam impendere, ut in patentiori, ac frequentissimo loco, ad primum cuiusque pagi ingressum, Sa-crosanctum Crucis Signum, in quo nostra salus pependit, publice proponatur, et ubi deiectum, fractumve sit, restituatur. Quod si locorum gu-bernatores parum de hac re solicitos compererint, omnino ipsimet efficiant, ut, stipe unde unde corrogata, intra id temporis spatium, ex solido lapide humanae salutis monumentum extollatur.

peragitur, idem tamen Corpus, idem Sanguis, idem Deus, et Dominus noster Iesus Christus, qui et semel est in Cruce immolatus, et qui iugi propitiationis nostrae Sacrificio offertur, et immolatur.

I. Qui Sacerdotio sunt inaugurati, ut in Sacrificii disciplina, ritibusque ab initio ipso probe instituantur, nemo primam celebrare audeat Missam, absque nostra in scriptis facultate; quam sane nullatenus consequuturos sperent, qui aut actione, aut dictione quaecumque perficienda, proferendaque sunt, adcurate, et exquisite non sint edocti, et nisi iuratam produxerint magistri caerimoniarum nostrae Cathedralis Ecclesiae attestationem, vel alterius Sacerdotis, qui Nobis eius rei magis peritus videbitur, cui rationem omnem, experimento facto, probaverint.

II. Sacras vestes ad celebrandum superinduere, quocumque praetextu, nemo audeat, nisi in habitu talari. Qui secus fecerit poenam cessationis a Divinis illico subeat, Nobis reservatam. Parochi, Ecclesiarumque Rectores, etiam regularium, et qui Sacrario praesunt, si quando sacra vestimenta ad celebrandum huiusmodi Sacerdotibus, qui praeterquam in habitu talari ad Ecclesiam accesserint, subministrent, eamdem poenam dabunt. Regulares vero Ecclesiarum interdicto compescentur.

III. Sacerdotes peregrini, exteri, et qui ab aliena Dioecesi in nostram advenerint, a sacrifi-

cando prorsus prohibeantur in Ecclesiis etiam regularium, nisi prius Nos, aut Vicarium Nostrum generalem docuerint, qui et unde sint, et a quo initiati, et nisi a proprio Episcopo litteras adtulerint, quibus testimonium illis spectatae vitae datum, et nisi demum facta eisdem fuerit a Nobis, vel a Vicario Nostro generali celebrandi potestas. Si quis autem, contra quam a Nobis decretum est, peregrino sacrificare permiserit, eadem poena teneatur. Quod si contigerit, Sacerdotem alienigenam in Nostra Dioecesi habitatum concessisse, nulla mora Parochus illius adventum Nobis nunciabit, curabitque, ut se Nobis intra decem dies sistat; atque interim a re divina facienda eumdem arcebit.

IV. Quum saluti animarum maxime conducat, ut Dominicis, festisque diebus Missae Parochiali Fideles intersint, tum ut Verbi Dei pabulum a proprio Pastore accipiant, tum ut de festis, de ieiuniis, de stationibus, de indulgentiis, de supplicationibus, et de ordinandorum, maritandorumque publicationibus edoceantur, singulis, et universis Nostrae Dioecesis Sacerdotibus districte praecipimus, ne a primo signo Missae Parochialis, donec ea fuerit absoluta, absque Nostra in scriptis facultate, in quavis Ecclesia, Sacello, aut Oratorio Confraternitatum, vel Regularium Ecclesia, sacrum faciat, etiam campanis silentibus sub poena suspensionis a divinis, praeter alias arbi-

tratu nostro infligendas; excepto tantum messis, et vindemiae tempore. Parochos autem iubemus, Missam non serius, quam post duas ab ortu solis horas celebrare. Quod multo magis servare eos oportet in Quadragesima, et Adventu, antequam de Concione mox habenda signum edatur, ne Fidelibus vel Missam, vel Dei verbum audiendi occasio praecidatur.

V. Meminerint Sacerdotes, se in Ecclesia Dei pro populo esse constitutos. Hinc magnam oportet ducant rationem temporis, quo sunt sacrificaturi, quod sane non sua, sed Ecclesiae, et populi commoditate metiri debent (1). Ac proinde Missae non perturbate, indispositeque, sed ordine, et altera post alteram, distinctis pro Sacerdotum numero intervallis a primo mane ad meridiem celebrentur. Quod ut usquequaque in nostra Dioecesi servetur, Sacrista in Cathedrali Ecclesia, Primicerius vero in Maioribus quibusque Ecclesiis, singulis Sabbatis, horas per ordinata temporis spatia distributas, quibus Sacrificium obire quisque teneatur, scripto statuat, tabellamque publice Sacrario adfigat (2).

VI. Quotidie primo diluculo, sive in Cathedrali, sive in maioribus utriusque Dioecesis Eccle-

---

(1) Cap. *Necesse de Consecr. dist.* 1.
(2) Synodus Compsana Herculis de Rangonibus Archiep. Comps. an. MDCXLIX. Cap. 1. *de Sacristia*.

siis, omnino numquam Missae Sacrificium desideretur. Festis vero diebus post conventuale Sacrificium, prorsus alterum serius prope meridiem celebretur (1). Quod utique onus Sacerdotibus omnibus aeque adeo volumus commune, ut qui ab eo se abduxerit, iustam poenam, sive in praebenda, sive in Clerali beneficio, sive demum in proventibus luat.

VII. Absque nostra speciali facultate, et iusta de causa, a nobis probanda, Dominicis, Festisque diebus neque extra Cathedralem Capitulares, neque extra Maiorem Ecclesiam beneficiarii, qui in redituum partem sunt adsciti, celebrare praesumant. Qui non paruerint, ut absentes habeantur, et si in eo perseverent, duplici punctatione multentur, praeter poenas, quas pro contumaciae modo meriti erunt.

VIII. Porro una tantum Missa in publicis sacellis, Dominicis, festisque diebus celebretur, ne fraus Cathedrali, Parochialive Ecclesiae fiat. Inobsequentes poenam suspensionis a divinis haudquaquam effugient: tum sacellum ipsum interdicto subiicietur.

IX. Nemo inchoare Sacrum audeat, antequam lucescat, praeterquam Natali die Domini nostri Iesu Christi, nec post meridiem differre. Nemo an-

---

(1) S. Carol. Conc. Med. 1. par. 2. tit. *Quae pertin. ad celeb. Mis.*

tequam accensae in altari sint cereae candelae. Nemo dum concio habetur. Nemo eo tempore, quo Archiepiscopus divino Sacrificio in eadem Ecclesia operatur. Nemo, qui statutas Sacro faciendo habeat horas, eas suo antevertat arbitrio, vel differat, aut mutet. Qui secus egerit a sacrificandi potestate mense uno prohibebitur, graviusque etiam punietur, si fructuum Ecclesiae particeps fuerit.

X. Ecclesiarum Rectores, et qui Sacrario praesunt, sedulam dent operam, ut sacrae vestes, et lintea, et Sacrificii vasa munda, et nitida sint, ea praesertim, quibus Corpus, et Sanguis Domini contingitur. Indignius enim nihil, quam adparatu indecoro Regem gloriae suscipere, qui candor est lucis aeternae. Magnum quoque adhibeant studium in lineam supellectilem: quemadmodum enim in externo sacrorum cultu, nullius rei adspectu exhilarantur magis Fidelium oculi, quam munditia, et candore lineae supellectilis, ita si eaedem luridae sint, atque impolitae, vel scissae, nihil est, quo magis omnes offendantur, et ab ipso etiam pietatis studio avertantur.

XI. Ad rem divinam faciendam numquam admovere manus audeant Sacerdotes, nisi, conscientiae suae latebris diligenter ante discussis, rite se poenitentiae Sacramento expiaverint, ut caeleste munus puris manibus pertractent, animoque ab omni peccati labe purgato. Et licet nullius mortiferae culpae conscii sibi sint, frequenter

tamen, ac singulis saltem hebdomadis ad Sacerdotis pedes se prosternant, ut si quid in conscientia resideat sordium, confessione detergant. Ut autem ad interiorem cordis munditiem, pios quoque adiungant adfectus, orationi adprime vacent, et matutinas precationes cum laudibus ante persolvant.

XII. Omnino antequam sacris vestibus induantur, in Sacrarii Oratorium secedant, ut in contemplatione ipsius Sacrificii aliquantisper defixi, mente recogitent, suis manibus, suoque ministerio, idem ipsum perfici Sacrificium, idemque ipsum tractari Mysterium, quod summus Sacerdos Christus Dominus in Cruce pro nostra salute peregit, ut ita, composito ad pietatem animo, altare Dei conscendant, iusto Dei timore comprehensi.

XIII. Quae in Missae Sacrificio dicenda, proferendaque sunt, ne praecipiti lingua devorent, sed omnia sedate, graviter, ac distincte legere, et pronunciare studeant, praesertim Canonem, et maxime omnium sacrosancta illa verba, quibus Corpus, et Sanguis Domini conficitur. Tum quae sunt agenda, ne praepropere agant, sed intento in divinis mysteriis animo, cuncta ad verborum sensum agant, nec ullam ex statis illis caeremoniis, ritibusque praetermittant, qui sunt ab Ecclesia praescripti.

XIV. Peracto Sacrificio, pari pietate, et modestia ad Sacrarii oratorium se recipiant, ut gra-

tiarum actioni iustum temporis spatium impendant. Omni enim indignitate indignius esset Dominum hospitio receptum inofficiose, ac illiberaliter deserere, vel inurbane dimittere. Ne autem vel pauxillulum a precationibus mente distrahantur Sacerdotes, dabunt operam Rectores, ac Praefecti, ut a Sacrariis otiosi homines usquequaque arceantur, et ut ministri, officium quisque suum, modeste, ac submissa voce, ubi loqui necesse erit, obeant.

XV. Missae in iis omnino Ecclesiis, et altaribus, quibus sunt peculiariter adtributae, vel legatae, celebrentur (1). Qui secus egerit, et alia in Ecclesia, vel in alio altari, aut alio die Sacrum fecerit, onus, quod debet, persolvisse non censeatur, nisi id aliquando permissu Nostro, vel Vicarii generalis Nostri fecerit.

XVI. In cuiusque Ecclesiae Sacrario, praeter tabellam, qua apte, concinneque Missarum perpetua onera sint descripta, liber prostet, in quo Sacerdos unusquisque, quo die Sacrum fecerit, sua manu id a se factum exaret, et annum, et mensem, et diem, et postremo suum ipsius nomen designet. Si quis Missam non celebratam ausus fuerit falso adnotare, suspensionem a divinis facto ipso incurrat, qua animad-

---

(1) S. Carolus Conc. Prov. P. 2. hoc tit. S. Congr. Conc. in Rom. 4. Aug. 1654.

versos item volumus, qui de Sacrificiis falso celebratis fidem fecerint.

XVII. Parochis, Rectoribus, et Praefectis Ecclesiarum, locorumque piorum universae Dioecesis praecipimus, ut singuli quoto semestri Nobis, aut Vicario Nostro generali distincte, et cum iureiurando deferant, cui debito celebrationis officio defuerint, sive in parochialibus Ecclesiis, sive in Ecclesiis quibuscumque, et Oratoriis, et Sacellis, quae Paroeciae finibus continentur, ut re a Nobis explorata, et cognita, praeter suspensionem a divinis, tantum e fructibus, aut mercede negligentibus detrahatur, quantum a quoque praetermissum officii esse compertum erit, quod Sacrario ipsi adiudicatum volumus.

XVIII. Decretis Sacrae Congregationis Concilii inhaerentes, auctoritate Urbani VIII. editis, et ab Innocentio XII. confirmatis, districte prohibemus Capitulo, Parochis, Ecclesiarumque Rectoribus, aut Praefectis, Confraternitatibus, et quibuscumque locis piis, eorumque Oeconomis, ne absque Nostro concessu, aut Vicarii generalis Nostri in scriptis, nova Missarum onera perpetua recipiant, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda (1).

XIX. Prohibemus cunctis Sacerdotibus, etiam

---

(1) S. Congr. Conc. 21. Iunii 1625. *de celebr. Mis.* Innocentius XII. Bulla 23. Ian. 1697.

Regularibus, ne in Sanctimonialium Ecclesiis sacrificare, sine scripta nostra facultate, audeant, sub gravibus poenis nostro arbitratu, quibus subiacere item volumus Confessarios ordinarios Monialium, si cui ibidem Sacrum facere permittant (1).

XX. Sacrificium in Altaribus in aperto positis, aut aliter quam clausis locis, omnino fieri vetamus, etiamsi locus ipsi Ecclesiae adhaerescat. Idem de Sacellis, aediculisque quibuscumque, quae valvis, serisque concludi nequeant, statuimus. Si quis secus fecerit, a nobis perinde ac meritus multabitur.

XXI. Qui habitu, cultuque corporis parum decoro, vel absque patenti tonsura ad celebrandum accedunt; qui nullum, aut nimis breve temporis spatium orationi ante, vel post Missam tribuunt; qui nimia festinatione, aut minus adcurate, religioseque verba, actionesque glomerant; qui conscientiae scrupulis agitati, oris, vel corporis contorsione admirationem, fastidiumque adstantibus praebent; hi omnes admoneantur primum, et si monita respuerint, Parochus, vel Ecclesiae Rector quantocius Nobis illos denunciet, ut opportuna remedia adhibeamus. Sciant vero animarum Curatores, se gravis culpae apud Deum reos constitui, si hanc officii sui partem neglexerint.

XXII. Qui Sacris operantur, si contra quam

(1) Sac. Congr. Conc. 9. Decemb. 1651.

Ecclesiasticis sanctionibus iubetur, anulum deponere detrectent, sive Doctores, sive Canonici Cathedralis, vel Collegiatae Ecclesiae fuerint, a sacrificandi potestate prohibebuntur, anulusque Sacrario Ecclesiae adiudicabitur (1).

XXIII. Qui amplius absque peculiari Apostolico privilegio Missam non solemnem cum quatuor luminibus celebrare, vel in altari ipso, aut prope, sacris vestibus indui praesumant, pro culpae modo plectentur (2).

XXIV. Si quis nefario ausu duas, pluresve Missas eodem die, praeter casus a iure statutos, celebrare non sit veritus, Ordinis usu prohibitus in correctionis domum quinquennio detrudetur (3).

XXV. Dent operam Parochi, ut saepe populum doceant, quo animi sensu, et pietatis studio, qua corporis compositione, et habitu interesse oporteat divino Mysterio, cui ipsi Caelestes Spiritus adstant venerabundi. Et numquam in Domino hortari, et urgere populum cessent, ut extrinseco cultu interiorem animi ostendant religionem, ut oculos con-

---

(1) Sacr. Rit. Congr. 13. Feb. 1725. et 10. Novemb. 1728. Porro nemini ex Ecclesiasticis ullibi deferre anulum licet, nisi ratione eius dignitatis, in cuius conlatione anulus illi fuerit traditus. Et tunc tamen in Missae celebratione est deponendus. S. Car. Conc. Med. IV. part. III. *de vita et honest. Cler.*

(2) Sacr. Rit. Congr. de mandato Alex. VII. 29. Sept. 1659. et 12. Ian. et 20. Iul. 1660.

(3) Can. *Sufficit de Consecr. dist.* I. Cap. *Consuluisti de celeb. Mis.* III.

tineant, sermonibus temperent, genua submittant, nec propius, quam par sit, ad altare accedant, vel illi incumbant. Quoad mulieres vero, moneant item eas quam enixe, ut corporis, vestiumque cultu simplici, ac decoro ad Deum colendum, propitiandumque accedant, et nonnisi velato capite in Ecclesiam omnino conveniant, ut est et muliebri dignitati, pudorique consentaneum, et ut Apostolus Paullus praecepit, et Apostolorum Princeps Petrus docuit, et qui in Petri locum successit, Linus sancivit. Commendent item istis, cuiuscumque conditionis sint, ne intra septum altaris Missae Sacrificio adsistant, vel si Altare septo careat, ad ipsum prope accedant.

CAPUT II.

De Oratoriis privatis.

I. Ut dignum ubique Domino habitaculum paretur, Oratoria non in interiorum aedium partibus, in quibus familia frequentius versatur, nec ubi profanae res exercentur, sed opportuno prorsus, et honesto loco, a cubiculis, a triclinio, et ab aula separato, ad Templi prope instar efformentur.

II. Sacerdotem quemcumque, sive saecularem, sive regularem, qui in privato Oratorio, non ante a Nobis recognito, et adprobato, caelestem hostiam

immolare adtentaverit, etiamsi non de novo sit erectum, sed de loco dumtaxat motum, a divinis illico suspensum declaramus, Oratoriumque interdicto subiectum (1).

III. Concilii Tridentini, et Apostolicae Sedis auctoritate, iisdem poenis obnoxii erunt Sacerdotes saeculares, regularesque, si cuiusvis privilegii praetextu, oblato iam per aliquem Sacerdotem in privatis Oratoriis Sacrificio, rem divinam ibidem facere ausi fuerint eodem die (2).

IV. Interdicto item subiaceat Oratorium, si ad rem divinam peragendam Sacerdos admittatur, qui a Nobis, vel a Vicario generali Nostro, celebrandi scriptam facultatem non impetraverit (3). Celebrantes autem statutis poenis punientur.

V. In privatis Oratoriis, etiam Apostolica auctoritate excitatis, et a Nobis rite recognitis, et adprobatis, Missam solemnioribus anni diebus celebrare nemini liceat, tum ex Sacrae Rituum Congregationis decreto (4): in festo Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Annunciationis, et Adsumptionis Beatissimae Vir-

---

(1) Conc. Trid. Sess. 22. Decr. *de observ. in celebr. Mis.* Can. *Missar.* de Consecrat. dist. 1. — Sac.Congr. Conc. de mandato Paulli V. 10. Mart. 1615. et 24. Maii 1664.

(2) Conc. Trid. loc. cit. Sac. Congr. Conc. 30. Maii 1699. Greg. XV. Const. XXXIII. *Circumspecta.*

(3) S. Carol. Conc. Mediol. I. part. 2. tit. *Quae pertin. ad celebr. Mis.*

(4) Sacr. Rit. Congr. 17. Nov. 1607.

ginis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Paulli, et omnium Sanctorum; tum ex Synodali Decreto: in festo Circumcisionis, Ascensionis, Corporis Christi, S. Iosephi, et S. Herberti Archiepiscopi Compsani, patroni Civitatis, et Dioecesis. Quibus quidem diebus, si quis Missam in privatis aedibus celebraverit, tam is, quam Oratoria, superioribus poenis statim subiaceant, nisi speciali indulto, Nobis exhibendo, celebrandi per istos dies inibi facta potestas fuerit (1).

VI. Si quis in privatis Oratoriis rem Divinam solemni ritu, vel cum cantu, celebrare praesumpserit, poenas, quas meritus fuerit, nostro dabit arbitratu.

VII. Ne commendata tantopere Fidelibus Parochialium Ecclesiarum frequentia imminuatur, hortamur in Domino plurimum, qui huiusmodi privilegio gaudent, ne committant, ut saltem in Dominicis Quadragesimae et Adventus in Maiorem Ecclesiam non conveniant.

(1) Can. *Si quis etiam de Consecr.* dist. cit. Sacr. Rit. Cong. 17. Nov. 1607.

CAPUT III.

De Divinis Officiis.

In domo Dei, veluti in propria statione versari, atque divinis in ea laudibus inhaerere, quum tanti sit, quanti caelestis patriae speciem, et imaginem quamdam in hac terrena peregrinatione praelibare, merito nos, ut primo animum ad Cleri disciplinam instaurandam, amplificandamque adiecimus, in eo potissimum pastoralem nostram solicitudinem suas exercere vires, Deo iuvante voluimus, ut infimae domus habitatores, Chorum supernae domus aemulantes, hymnis, et psalmis exaltare nomen Dei in terra non desisterent, quemadmodum Chorus ille caelestium incolarum semper Dei laudibus exsultat. Nunc vero, ut quae hac de re passim mandavimus, adprime, et omni pietatis studio impleantur, visum est nobis in Domino, ea omnia singillatim synodalibus hisce decretis statuere.

I. Quo alacrius saeculi milites, tubae sonitu excitati, spe corruptibilis adsequendae coronae, cito currunt ad arma: eo promptiori, atque ardentiori animo par est, ut qui Ecclesiae militant stipendiis, campanae signo admoniti, ad divina persolvenda officia convolent, incorruptam recepturi ab aeterno Rege coronam.

II. Ut qui peculiari munere ad cantandum Deo

canticum laudis sunt obstricti, mature excitentur, singulis diebus mane admonitio per horam praecedat, atque consueto campani aeris sonitu per singulos quadrantes iterum iterumque repetatur; eadem habita in vesperis ratione, per dimidium horae tamen signo ante dato. Rogamus autem in Domino Capitulares, ut ipso primo in Cathedralem Ecclesiam ingressu, non ante Sacrarium petant, quam Sanctissimum Sacramentum adoraverint.

III. Congregatis una omnibus, absolutoque ultimo de turri campanarum sono, adhuc divina officia non inchoentur, nisi per campanulam Chori signum edi Praefectus iubeat. Caveat attamen is (1), ut matutinum officium mane diei propriae, non sero praecedenti post Vesperas, et Completorium, persolvatur, nisi iusta prorsus caussa, quae a Nobis, vel a Nostro Vicario generali erit discutienda (2).

IV. Signo per choralem campanulam dato, non praepropera festinatione, neque per disparatos incessus, sed una simul, ordine bini, ad Chorum, qua decet gravitate, et modestia, procedant, dignioribus praeeuntibus, nisi candelabra praeferantur (3). Eo ut pervenerint, suum quisque adeat lo-

---

(1) S. Carol. Conc. Mediol. I. Part. II. tit. *de Divin. offic.* Et tit. *de offic. Sacrist.*

(2) Ibidem, et Mediol. IV. part. II. tit. *Quae pert. ad Mis. cel.*

(3) S. Cong. Conc. 20. Iul. 1705.

cum, et genibus positis paullulum orent, neque adsurgant, nisi nutu per Chori Praefectum edito ordiatur officium (1).

V. In altari ad Chorum, quo divina officia persolvuntur, duae saltem quoto die ex cera alba candelae ardeant, nec antequam accensae fuerint, inchoetur (2).

VI. Nisi Ecclesiastico habitu, propriisque gradus, atque officii insignibus induto, accessus nemini pateat in Chorum (3). Si quis autem, vel non nigra veste, quae ad talos clausa defluat, vel non proprio conditionis suae habitu indutus, Chorum ingrediatur, aut si intra Chorum ipsum, vel in ipsa etiam Ecclesia, Choralem sibi sumere vestem audeat, cunctas prorsus diei illius distributiones, atque emolumenta amisisse sciat (4); graviores hinc subiturus poenas, si in contumaciam devenerit transgressio. Superpellicea vero phalerata, atque versicoloribus vittis diffluentia, omnino inhibemus, ne saltatrices potius feminae in templum Domini inductae, quam Dei ministri Fidelium oculis adpareant.

VII. Qui, coeptis iam divinis officiis, adve-

---

(1) S. Carol. Conc. Mediol. I. part. 1. tit. 11. *Quando, et quom.* Barbos. *de Can.* cap. 7.

(2) S. Cong. Concil. 7. Aug. 1595.

(3) S. Congr. Episc. 22. Maii 1699. Sacr. Congr. Conc. 4. April. 1693. Sacr. Congr. Rit. 3. Aug. 1670.

(4) S. Congr. Rit. 3. Mart. 1633.

nerint, ad altare aliquantisper submissis genibus oret, et inclinato mox capite, salutatoque ab utroque latere Choro (1), recta, et gravi quidem incessu, sedem suam petat, adsurgentibus ei, qui eiusdem ordinis circumstant. Gressum sistat tamen, ubi forte vel *Deus in Adiutorium* decantetur, vel *Gloria Patri*, aut Evangelium. Qui vero matutino Officio, antequam psalmus *Venite exultemus Domino* absolutus sit; quique aliis canonicis horis ante finem primi cuiusque psalmi; qui Missae maiori ante ultimum *Kyrie* Choro non aderint, ii singuli, veluti absentes, a punctatoribus notentur, illiusque horae distributione careant (2), nisi vel necessitate aliqua adacti, vel ob Ecclesiae commodum paullulum abfuerint, quod Chori Praefecto cognoscendum, probandumque relinquimus.

VIII. Per se ipsos psallant non per substitutos, ut est Concilio Tridentino cautum (3), tractimque, et consona voce, ac parumper in versiculorum medio cunctantes. Adcurate vero adeo, distinctque suam quisque moduletur pronunciationem, ut Chori partes se invicem, probeque in-

---

(1) S. Congr. Ep. et Reg. 18. April. 1617. Barbosa *de Can. et Dign.*

(2) S. Carol. Conc. Med. I. part. II. tit. *Quando, et quom.*

(3) Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. *de Reform.* Conclusionem proinde Capituli Campaniensis die 10. Aug. 1740, qua iis perceptio tribuebatur, qui alios vice sua in Choro substituissent, ut Conc. Trid. et fundationi Campaniensis Cath. expresse adversam, solemni edicto abrogavit Praedecessor noster Ioannes Angelus Anzani Episc. Satrian. et Camp. die 9. Feb. 1755.

telligant; neque priusquam pars altera tacuerit, altera incipiat (1).

IX. Studeant porro quae Dei sunt ardenti pietatis adfectu peragere, ne mens, animusque huc illuc temere vagetur. Satagite enim, verbis nunc vos compellam beatissimi Episcopi Cypriani: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, et saecularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Quae autem segnitia est alienari, et rapi ineptis cogitationibus, et profanis, quum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, quum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere: hoc est quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere* (2).

X. Quamobrem, ubi laudis Sacrificium Deo immolatur, videat quisquis, ne colloquia interserat, litteras, aut quidquam aliud scriptum legat, neque huc illuc per aliorum subsellia vagetur. Id autem omnino non audiatur, ut inter divinas quis

(1) S. Carol. Conc. Med. I. Part. 11. tit. *Quomodo versand. in Chor.*

(2) S. Caecilius Cyprianus *de Orat. Domin.*

laudes umquam dormitet, aut garriat, vel quod gravissimum foret scandalum in loco sancto, ut nugetur, vel rixetur, aut instrepat, rideatve. Recogitent enim omnes, se Dei ministros esse, in Dei domo, conspectuque versari, Deoque psallere, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Quod si quis dignitatis, officiique sui, et verecundiae praeterea, disciplinaeque oblitus talia faxit, distributionibus horarum illarum omnino privetur, praeter ceteras, quas arbitratui nostro reservamus poenas, si transgressiones huiusmodi in adversariis excipere neglexerint. Ubi vero quis monitus non resipuerit, a chori Praefecto omnino ad Arhiepiscopum denuncietur, ut gravius hinc pro contumaciae modo puniatur.

XI. Quum nihil enixius populo suo Dominus praeceperit, quam caeremoniarum observantia (1); quumque ritus nostri, eo sanctius sint servandi, quo nostra sacrificia longius illis praestant, quae in vetusta lege peragebantur, ideo monemus omnes in Domino vehementer, ne quid prorsus ex sacris caeremoniis, ac ritibus in Divinis Officiis omittatur, qui per manus Sanctorum traditi, sua sunt antiquitate venerabiles (2). In primis unitas servetur, ut nimirum omnes pro officii ratione

(1) Genes. XXVI. v. 5. Deuteron. IV. 7. Reg. III. c. II. 3. Ezech. XLIV. 15. Exod. XVIII. 19.
(2) Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 5.

una sedeant, consurgant, stent, capita aperiant, atque inclinent, et genua submittant. Monstri enim instar esset, si vel aliquantulum discrepare inter se videantur, qui unius corporis sunt membra, unique Deo, et uno, eodemque pietatis studio famulantur.

XII. Caeremoniarum Magister omnia prompta, compertaque habeat, cuncta circumspiciat, et singulis, quae agenda sint, modesto nutu significet, quale item quisque munus, quove pacto obire debeat, singulosque Ecclesiae ministros sui officii in tempore satagat praemonere. Incumbat insuper, ut Sacrae functiones omni decore, gravitate, ac diligentia celebrentur (1). Quum autem pontificali ritu celebrabit Archiepiscopus, vel etiam cum cappa tantum pontificia aderit, ille semper adpareat, omnemque operam, et studium navet, ut recte, ac rite omnia ex pontificalis codicis praescripto peragantur.

XIII. Singulis Sabbati diebus, vel quoto saltem mense, in Sacrario tabella proponatur, in qua Officii tota per hebdomadam sequentem recitandi ratio, Missarumque celebrandarum ordo, eorumque item nomina, ad quos Missas celebrare, tum

(1) Conc. Trid. Sess. VII. *de Sacr.* can. ult. et Sess. XXIII. cap. 5. can. 7.

Evangelia, et Epistolas decantare, tum ministrare pertinebit, descripta sint (1).

XIV. In iis, quae moneri, iuberive Magistri caeremoniarum muneris est, ita adcurate ad obsequium praesto sint omnes, ut, qui ab illo monitus iussa abnuerit, e vestigio a punctatore notetur, distributionemque amittat. Ubi vero muneri, pensoque suo, prout est in tabella propositum, defuerit aliquis, dupli distributionis illius diei damnetur, in Ecclesiae fabricam addicendi, nisi legitimo constet distentum impedimento, quod erit Praefecto Chori comprobandum. Attamen si Cathedrali Basilicae eo die Archiepiscopus interfuerit, quadruplo tunc participationis illius diei, in Ecclesiae item fabricam multatum volumus.

XV. Punctator sedulo eos omnes notet, qui vel Divinis Officiis, quum in Choro celebrantur, non intersint, vel eadem ad huiusce nostrae sanctionis praescriptum non obeant. Qui nimirum se a canendo cum reliquis abstineant (2), qui litteras, vel quid huiusmodi aliud a divina psalmodia alienum legant, vel privatim Officium recitent, qui colloquendo, vagando, aut ridendo minus verecunde, quam par est coram Deo, atque Angelis eius se gerunt. Errataque omnia, et id genus

(1) S. Carol. Conc. Mediol. II. Part. II. *de offic. Mag. Chor.*
(2) S. Cong. Conc. 20. April. 1602. Barbos. ad Conc. Trid. sess. 24. c. 12. num. 118.

cetera, in sua referat adversaria, quorum exemplar singulis mensibus Nobis, vel Vicario Nostro generali exhibeat. Exacto autem anno, subductisque diligenter rationibus, Capitulo autographum tradat, in Ecclesiae tabulario custodiendum.

XVI. Si quae punctator errata animadverterit, sciensque notare praetermiserit, tantum ipse de distributionibus sibi iure obvenientibus amittat, quantum erat illi, quem notare neglexerit, amittendum; sciatque se, nisi facta illarum restitutione, in foro conscientiae absolvi iure non posse. Quamobrem rogamus Canonicos omnes, ut ubi quid huiusmodi in Choro deprehenderint, e vestigio ad Archiepiscopum deferant, ut punctator praetermissi officii illico sentiat poenas.

XVII. Ut quanta maxima religione tam momentosum praestetur officium, id non ineat Punctator, nisi iusiurandum ex Sacrae Congregationis Decreto, coram Nobis, aut Vicario Nostro (1) praestiterit, se sancte, et integre munus suum exequuturum, et nullius gratia, nulliusque odio a Fide discessurum (2). Punctatorem alterum arbitrio Nostro eligendum reservamus, qui si forte suscipere id mu-

(1) S. Carol. Conc. Mediol. I. Part. II. *de Officio Punctat.* Sacr. Congr. Concil. 17. Mart. 1619.

(2) Ad formam a S. Carolo Borromaeo praescriptam in Conc. Mediol. II. tit. 5. cap. 3. — *Ego N. N. Punctatoris officium, quod suscepi, per haec Sancta Dei Evangelia iuratus, sancte promitto, ac spondeo, me fideliter, et sincere, quantum in me est, exequuturum. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.*

neris detrectaverit, ecclesiasticis censuris compelletur. Hic porro, atque ille punctationum libros in singulas hebdomadas simul inter se conferant, ut si quid interdum discriminis, aut controversiae inter eos suboriatur, statim coram Archiepiscopo, aut eius Vicario generali, omni prorsus iudiciaria forma seclusa, componatur. Nemo autem ex Capitulo de iusta, et iniusta punctatione sententiam ferre umquam audeat, secus et dabit ipse etiam poenas. Ut demum munere suo sedulo fungantur, horis quidem omnibus Divini Officii, tum et Missae perpetuo intersint. Si eos necessaria, iustaque de caussa abesse aliquando oportuerit, nisi munus suum alteri delegaverint, qui chori Praefecto probentur, tot dierum distributiones amittant, quot officio suo defuerint.

XVIII. Ne quid penitus contra ius agat Punctator, conclusiones capitulares quoad Chorum, quas Praedecessores nostri, ut Concilio Tridentino, et Sacrae Congregationis decretis adversas abrogarunt, et nos abrogamus, atque abolemus, confirmantes decreta omnia, et edicta (1), quae vel in Synodis Dioecesanis, vel in sanctis Visitationibus hanc in rem promulgarunt.

---

(1) Huiusmodi est Edictum Ioannis Angeli Anzani Episc. Satrianensis, et Campaniensis, promulgatum die 9. Feb. 1755. quo abrogatae fuerunt Conclusiones de die 9. Ian. 1734. de die 10. Aug. 1740. de die 19. Ian. 1743. de die 10. Aug. 1750, praeter abusus, qui passim inoleverant.

XIX. Cantor, Chori praefectus, curet, ut in Divinis Officiis nihil prorsus praetermittatur, quod disciplinae ratio postulare videtur, nihilque praepostere fiat, vel indecore (1); ut tempora omnino ad statuti horarii praescriptum serventur (2); ut divina psalmodia distincte, et suetis interpunctis devote obeatur, et ubi cantu sint persolvenda, tota canendi ratio ita temperetur, ut absurdae concitationes, clamoresque fugiantur, ne fidelium animi, qui suavitate concentus incitari ad religionem debent, discordibus, absonisque vocibus avocentur. Tum cuncta adtendant si religiose ab omnibus peragantur, et si quem minus recte se habere, aut licentiosius in Choro versari animadverterit, cum primo bonis verbis moneat, mox gravius obiurget, et si monita respuere intellexerit, Punctatori praecipiat, ut perinde illum mulctetur, ac si in Choro non venisset. Nemo vero in Praefecti officium partesque se intrudat, aut diversa praecipiendo disciplinam perturbet, secus enim illius diei portione mulctabitur. Ut autem in singulis functionibus recta, et modulata habeatur praecentio, statuimus, hymnorum, psalmorumque intonationem, sive in Choro, sive etiam extrinsecus ad eumdem omnino spectare.

(1) S. Carol. Conc. Mediol. I. Part. II. tit. *de officiis, qui choro praes.*

(2) S. Congr. Episc. 15. April. 1617. S. Carol. Conc. Mediol. I. part. II. tit. *Quando cet. ad divin. off.* Et Mediol. IV. part. II. tit. *Quae pert. ad Miss.*

XX. Solemnioribus anni festis, quibus Pontificalia Sacra in Cathedrali Basilica celebrantur, omnino omnes conveniant ad integrum vesperarum officium, et tria nocturna cum laudibus solemni ritu, ex antiquo omnium Ecclesiarum instituto, cantu obeunda [1], ut Fidelium animi ad recolenda Christianae religionis mysteria excitentur. Nimirum die Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniorum, Dominicae Resurrectionis, Pentecostes, Sacratissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri, et Paulli, Adsumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, et Sancti Patroni. In officiis vero duplicis praecepti, quibus tertium nocturnum cum laudibus, cantu solummodo persolvere moris est, Celebrans amictu, stola, et pluviali indutus consueto sedeat loco, eaque omnia rite perficiat, quae in solemni obtinent officio.

XXI. Missa Conventualis, quae Choralis Officii pars est, quotidie statis horis celebretur: quam quidem pro benefactoribus adplicandam, obsistente licet quavis consuetudine, etiam immemorabili, Sacra Concilii Congregatio expresse decrevit [2]. Quod aeque servandum, ubi plura,

---

(1) S. Carol. Conc. Med. III. part. 1.
(2) S. Cong. Conc. 16. Novemb. 1650, et 4. Mart. 1690, et 1. Mart. 1692, et 23 Sept. 1694, et 29 Novem. 1648, et 28 Iun. 1704, et 6. Iul. 1705, et 17. Decem. 1718, et 6. Mart. 1723.

iuxta rubricas, Conventualia sacra sint uno die in Cathedrali facienda (1), quae separatim singula post suam horam canonicam ordine peragantur (2), non sine cantu, etiamsi solemne tunc occurrat festum (3), Perpetuo autem his Diaconus, et Subdiaconus, etiam ferialibus diebus, ex antiqua Ecclesiae consuetudine Dalmaticis induti ministrent (4), numquam vero Canonici (5).

XXII. Quominus post Nonam quis audeat Conventualem Missam canere, suspensionis poena ipso facto incurrenda prohibemus. Edicimus ideo, cantari post tertiam in Dominicis, in duplicibus, in semiduplicibus, et infra octavas; post sextam in simplicibus, et feriis per annum; post nonam demum in Adventu, in Quadragesima, et Vigiliis, quibus ieiunatur. Quod si Missa defunctorum sit canenda, post Primam locum habeat.

XXIII. Inter Missarum, vel Vesperarum solemnia, caveant, sive Canonici, sive Beneficiarii, sive in Sacris constituti, sub poena bimestris suspensionis a divinis, laicos homines thurificare, etiam in Ecclesiis, et locis, in quibus magisterio aliquo, vel gubernio fungantur; quod munus

---

(1) S. Cong. Concil. 16. Maii 1716.
(2) Rub. Miss. p. 1. tit. 15. S. Cong. Rit. 23. Martii 1602. et 28. Ian. 1612.
(3) S. Congr. Rit. 5. Mart. et 9. April. 1633.
(4) S. Carol. Conc. Mediol. I. part. 11. tit. *de Missa*.
(5) Sac. Rit. Cong. 4. Mart. 1706.

Acolythis, et Clericis minoribus relinquatur (1).

XXIV. Divinorum tempore, tametsi Missas privatas in Ecclesia celebrari fas sit, nemo tamen dum Missa decantatur conventualis, sacrificare praesumat, diebus festis praesertim, ne Fideles a solemni audienda Missa distrahantur (2): id quod sub poena suspensionis ipso facto inhibemus (3).

XXV. Inter Divina officia, vel dum conventuale Sacrum celebratur, egredi e Choro, etiam ad modicum tempus, nemini liceat. Quod si necessitas urgeat, nonnisi impetrata a Chori Praefecto facultate, fas exire habeat quicumque, etiamsi Dignitas sit (4); alioquin punctatione veluti absens multetur (5). Advertant tamen, quod est a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium sapienti consilio sancitum, non plures, quam duos uno posse tempore Chorum deserere, ne pene evacuetur (6). Sciant praeterea sibi numquam inter divina Officia

---

(1) Syn. Neap. Card. Philam. an.1644. *de Vit. et honest. Cler.* Syn. Neap. Card. Caracioli an. 1669. *de Caerem.* Concil. Prov. Card. Cantelemi tit. II. cap. 1. Synod. Dioec. eiusd. Cantel. an.1694. part.III. cap.3. *de divin. Offic.* Syn. Aversan. Card. Caraccioli an. 1703. part. III. cap. 5. *de divin. Offic.* Syn. Neap. Card. Francisci Pignatelli an. 1626. part. 3. cap. 4.

(2) Cap. *Et hoc* 52. *de Consec.* dist. 1. S.Carol. Conc. Mediol. IV. part. II. tit. *Quae pertin. ad Miss.* §. 1. et 2.

(3) Synodic. Benev. p. 1. tit. 39.

(4) S. Congr. Rit. 20. Mart. 1603. et 5. Mart. 1633. et 27. Sept. 1647.

(5) S. Cong. Episc. 18. April. 1617. S.Cong. Conc. 4. Iun. 1701.

(6) S. Cong. Episc., et Concil. ibidem.

licere vel audiendis Fidelium confessionibus, praeter Poenitentiarium, vacare, vel Missas privatas celebrare (1). Premente necessitate, nonnisi a Canonico Sacrista requisitis, et uni post alterum, data a Chori Praefecto copia, ad Missas tantummodo celebrandas abesse liceat; secus enim distributione priventur. Quum Archiepiscopus Sacris operatur, aut Conventuali Missae adsistit, vel ipso imminente Antistitis accessu ad Basilicam, nemo privatas Missas celebrare audeat (2); alioquin punctentur primum, deinde vero in contumaciae poenam quadruplo distributionis illius diei multentur (3).

XXVI. Poenitentiarius, et Theologus quamdiu suo funguntur officio, ex Sacrorum canonum, constitutionumque Pontificiarum praescripto, tamquam Choro praesentes censeantur, neque ullam in quotidianis distributionibus patiantur iacturam (4). In eamdem classem succensendi, qui Archiepiscopi iussu, ordinandorum, vel Confessariorum examini, vel statis in Ecclesiae commoda Congregationibus adciti sint, vel cum eo de rebus ad Ecclesiam pertinentibus conferant, aut eumdem ad visitandas Ecclesias, vel infirmos comitentur. Occo-

---

(1) S. Cong. Rit. 25. Ian. 1619. S. Carol. Conc. Mediol. IV. part. 1. tit. *de Distributionib.*

(2) Conc. Ben. an. 1693. tit. 21. cap. 8, et tit. 35. c. 5. et. 6. Syn. Fulg. an. 1722. c. 3. n. 10.

(3) S. Congr. Concil. 27. Feb. 1706.

(4) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. c. 8. Sacr. Congr. Concil. 12. Aug. 1628. Bul. Ben. XIII. *Pastoralis officii.*

nomo autem rei Capitularis, nisi quae urgent in aliud extra Chori tempus exequi possint, quoties actu in ea incumbat, benigne indulgemus, significata tamen Chori Praefecto necessitate. Quoad vero infirmos, excusatos tantum volumus a Choro, qui vere aegrotantes domi attineantur [1]. Animum at adiiciant punctatores, ne ullo argumento illis immunitatem a punctatione largiantur, qui quovis feruntur, tantumque in Chorum iniquae valetudinis praetextu convenire detrectant.

XXVII. Quibus de Capitulo Paroeciarum intra urbem administratio est demandata, nisi actu item Parochialia munia obire comperiantur, distributiones non percipiant. Curae adiutores vero, edito vix signo Missae Conventualis, omnino in Cathedralem Ecclesiam conveniant, nisi eo ipso plures in Parochiis infirmari detur, qui eorum ope indigeant; qua de re conscientiam Praefecti Chori oneramus.

XXVIII. Ubi Archiepiscopus publicae concioni, aut sacrae lectioni in Cathedrali Basilica interrit, eoque magis quum ipse concionabitur, cuncti conveniant, nemine, nisi qui legitimo, gravissimoque impedimento distineatur, excepto. Quotiescumque vero, etiam impedito, vel absente Archiepiscopo concio habeatur, omnes item inter-

(1) Cap. unic. *de Cler. non resident.* in 6.

sint, superpelliceis induti, et loco, ubi commode audire, atque ab aliis videri possint, opportuno sedentes. Qui contra faxit, Missae, aut Vesperarum, quibus proxime interfuerunt, distributionem amittat.

XXIX. Ne quid detrimenti Dei cultus in Cathedrali Ecclesia patiatur, interdictum Capitulo volumus, peculiaribus interesse processionibus. Quae vero ex Paroeciis, vel Oratoriis egrediuntur, nisi Rectore Paroeciae, in cuius regione festum agitur, interveniente, fieri eas omnino prohibemus.

XXX. Statas ab Ecclesia processiones generales, et quae publica caussa indicuntur, a Cathedrali Ecclesia egrediantur, et per easdem Ecclesias, eademque itinera, quibus ab antiquo fieri consueverint, ducantur.

XXXI. Meminerint Capitulares Decreti Sacrosancti Concilii Tridentini, *Sess. XXIV. de reform. cap. XII. Obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut portiones, non licere vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus illarum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Cuius auctoritate tres absentiae menses ita sunt numerandi, ut in iisdem dies omnes, sive continui, sive interpolati includantur. Preinde qui a

Choro vacant ultra nonaginta cuiusque anni dies, pro absentibus omnino habeantur (1).

XXXII. Videant praeterea, ne tres menses vacationis a Choro incidant tempore Adventus, vel Quadragesimae, vel maximis anni solemnitatibus, Nativitatis nempe, et Resurrectionis Dominicae, Pentecostis, et Corporis Christi, eiusque Octavae, vel die festo Sancti Patroni, vel Processionibus Ecclesiae generalibus (2). Qui hisce diebus in Choro desiderantur, puncto multentur, et quidem duplici, si in Natali Domini, vel Paschate, vel Pentecoste ab Ecclesia absint.

XXXIII. Ut Sacrae Congregationi Episcoporum sua stet auctoritas, neminem ad Praebendatum nostrae Cathedralis Ecclesiae admitti iubemus, nis Gregoriani cantus specimen ante subierit. Qui secus id beneficium ante hoc decretum obtinuerit, nisi intra sex menses se cantus examini subiecerit, et comprobationis testimonium Nobis adtulerit, ad superiorem gradum numquam provehetur.

(1) Sac. Congr. Concil. ap. Fagn. in c. *Licet de Praebend.* num. 54. et seq.
(2) Sacr. Congr. Concil. 21. Iul. 1640.

CAPUT IV.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

Ecclesiam domum suam, et orationis domum ipse Dominus vocavit. Quum autem Altissimo Deo ibi maxime tribuendus sit cultus, doceant persaepe Parochi populum, qua fide, pietate, modestia, et humilitate ad Dei Templum accedere, quantoque pavore in eo versari oporteat; nec desinant temeratoribus iram, indignationem, vindictamque Dei, et mala pessima quaecumque denunciare.

I. Sedulo animarum Curatores, Ecclesiarumque Praepositi advertant, an qui in Ecclesiam conveniunt, exteriori corporis habitu, intimos animi sui sensus religionis, ac pietatis plenos ostendant. An caput pileolo laneo, lineove tectum habeant, quod indignitatem sapit, et quidem enormem, ubi Missae sacrificio intersunt, et maxime quum Divina Hostia elevatur; an Altaris mensae innitatur aliquis, vel propius accedat, dum Sacris Sacerdos operatur, vel per summum nefas quovis alio tempore Altari insideat; An laicus quis in Confessionali sede, dum vel Concio habetur, vel alia sacra munia peraguntur, sedeat. Caveant vero quam diligentissime, ne quis in Ecclesia nugetur, praesertim quum divina Mysteria, et Officia celebrantur; ne quis negotiis operam qualemcumque tribuat; ne aversus quis Sacramento Eucharistiae

stet, vel sedeat; ne cum mulieribus quisquam colloquatur; ne mendici, dum sacra fiunt, per Ecclesiam vagentur; ne in Ecclesia, vel atrio, vel porticu, vel ipso in vestibulo quidquam venale proponatur.

II. Quum vero in tota Divini cultus ratione nihil ferme sit, quod Divinae Maiestati congruat, et populi religionem magis invitet, quam rerum omnium, quae in templo sunt, venustas, munditia, nitor, dabunt operam Ecclesiarum Rectores, et quibus iniuncta est Sacrarii cura, ut nihil immundum, nihil maculosum in Domo Dei adpareat, et omnem sedulitatem, diligentiamque adhibeant, ut pavimenta singulis hebdomadis converrantur; ut parietes, et tectum, sive laqueatum, sive fornicatum, singulis saltem mensibus detergantur, et ubi opus fuerit, sarciantur, dealbenturque; ut quam frequentissime Altaribus, Altariumque ornamentis, et sacris imaginibus pulvis, sordesque excutiantur; ut sacra supellex, cuius cuiusque generis, suis armariis, loculisque dispertita adcuratissime custodiatur.

III. Videant quoque diligenter, ut fores ad primas noctis tenebras claudantur, nec patiantur quemquam intra Ecclesiae septa pernoctare, aut pervigilare, neque noctu in Ecclesiam populum admittere, excepta Nativitatis Christi Domini nocte, qua ex veteri Ecclesiae instituto, nocturna Sacra celebrantur.

IV. A Choro, qui proprius ministrorum Ecclesiae locus est, praesertim Divinorum Officiorum tempore, penitus secludantur laici, ne dum divinis rebus procurandis, divinisque muniis obeundis vacant, a saecularibus hominibus interturbentur.

V. In Ecclesiis omnino interdicta volumus tympana quaecumque, tum cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, cheles, et psalteria symphoniaca, theatrorum propria. Quod si in aliqua Ecclesia instrumentorum usus ex inveterata consuetudine invaluerit, tunc cum organo musico nullum aliud adhiberi iubemus instrumentum, nisi barbiton, tetracordon, monaulon pnevmaticum, fidiculas, et lyras tetracordes, quae ad corroborandas, sustinendasque voces inserviunt (1); dummodo tamen huiusmodi sit sonus, ut cantum iuvet, non opprimat.

VI. Regalibus personis exceptis dumtaxat, strata in Ecclesiis pro quocumque alio, cuiusvis gradus, conditionis, ac dignitatis poni vetamus. Si secus actum fuerit, a Divinis illico cessetur; et Rectores quidem, ceterique Ecclesiarum ministri, qui id permiserint, ipso facto excommunicationis poenam incurrant; Ecclesiam vero interdictam declaramus (2).

---

(1) Benedict. XIV. Const. Annus.
(2) Clemens XI. Bullar. part. 3. Dec. 1. Congr. Coer. S. Congr. die 3. Octob. 1701.

VII. Provinciarum Praefectis, Magistratibusque altioribus Ecclesiam ingredientibus a Clerico tantum lustralis aqua per contactum praebeatur, qua ipsi se sua signent manu (1).

VIII. Apostolicis institutis, et Patrum Sanctissimis praeceptionibus obsequentes, tum et publicae honestati, et muliebri pudori, ac dignitati prospicientes, Synodali hoc decreto districte in Domino praecipimus, ne aperto capite mulieres Ecclesiam ingredi sinantur, sed capite velato, vel quovis panno obtectae. Quod salutare decretum, ne umquam infringatur, declaramus Nobis reservatam absolutionem, si post tertiam monitionem non paruerint.

IX. Id praeterea ab Ecclesiarum Rectoribus caveri volumus, ne Vasa, ornamenta, instrumentaque alia, aut omnino quidquam ex sacra supellectili, quod proprium sit Ecclesiae, absque nostra auctoritate ad alterius Ecclesiae usum commodent, ne ex eo, ut usuvenit, Ecclesiae, et Altaria squaleant, et ad propria comparanda ornamenta ii, quibus interest, animum non adiiciant.

X. Oblationes, et eleemosynae, quae pietatis, religionisque caussa Ecclesiis, Altaribus, et sacris Imaginibus a fideli populo praebentur, nonnisi in reparandis Sacris Aedibus, et in ipsius Ecclesiae cultum, ornatumque impendantur. Harum ad-

(1) S. Congr. Rit. 7. Iun. 1704.

ministratio, ut sancte et fideliter obeatur, qui de Clero a Nobis sunt specialiter deputati, distincte omnia in accepti codicem referant, nec in expensis umquam a statu deflectant, quem Nos expresse probavimus: nisi quid pro nata necessitate in aliquam aliam rem, in ipsius Ecclesiae bonum, sit auctoritate nostra impendendum. Singulis autem annis codicem ipsum ad nos adferant, et gesti muneris rationem Nobis reddant.

XI. Argenteas, aereas, cereasque imagines, anulos, coronas, aliaque, quae voti caussa a fidelibus, piisque hominibus offeruntur, vendi, liquari, mutari, auferri omnino vetamus. Quod si vetustate fracta, ac labentia sint, nisi concessu nostro, ut in ipsius Ecclesiae cultum, commodumque vertantur, numquam liceat. Huiusmodi vero oblatarum rerum venditiones, pactionesque iniri, tam Parochis, quam Rectoribus, et Ecclesiae ministris quibuscumque ita interdicimus, ut qui contra hoc Synodale decretum fecerit, is gravi a nobis poena afficietur.

XII. Qui profanas aedes, Ecclesiae, aut Oratorii parietibus continentes, haerentesque construere audeat, poenam excommunicationis ipso facto incurrat, qua tamdiu teneatur, donec diruantur, vel Ecclesiae ipsi adiudicentur.

XIII. In Ecclesiis, sacrisque locis occisorum corpora a magistratu recognosci, inspicique vetamus. Quae eo sint inlata, alio exportentur, et

caedis cognitio a loco sacro prorsus removeatur.

XIV. Comitia populi, laicorum conventus, et negotia saecularia quaecumque, ac etiam consultationes, deliberationesque in Ecclesiis omnino prohibemus, sub poena interdicti quoad loca sacra; et excommunicationis quoad laicos, qui talia faxint.

XV. Frumentum, fruges, merces, et profanae supellectilis quidquid, si quis in Ecclesiam, Oratoria, Sacella etiam campestria importaverit, ab Ecclesiae ingressu interdictum declaramus; item qui opem, operamque in id contulerint. Rectores vero gravissimis poenis arbitratu nostro punientur.

XVI. Campanarum sonus ex veteri Ecclesiae instituto ad sacra tantum adhibeatur, ut populus eo signo, vel in templa conveniat, vel ad orationem invitetur. Indecorum enim, et indignum prope, ut quae sunt peculiari ritu consecratae, a sacro usu ad profanum convertantur.

XVII. Porro praeter statas munerum functiones, pias quoque Ecclesiae consuetudines, praecepti loco constantissime haberi, servarique decernimus; ut nempe in maiori Missa, dum Sanctissima Eucharistia a Sacerdote superextollitur, ter ternis campanae ictibus Fideles ad Divinam adorandam Hostiam, quae pro salute nostra quotidie Deo Patri offertur, excitentur; ut ad Divinum Dominicae Incarnationis Mysterium recolendum, et ad Beatissimae Virginis praesidium praestolandum et mane sub lucem, et meridie, et vespe-

re, occidente sole, campanae signo populus item moneatur: ut ad horam item cuiusque diei nonam, ad Christi Domini mortem contemplandam; et ad primam insuper noctis horam ad preces Deo pro defunctis fundendas, iterum iterumque campanae pulsentur: ac demum sive quoties Divina Eucharistia ad infirmos defertur, sive quum in in serotina SS. Sacramenti expositione populo impertitur benedictio, toties eius rei signum, repetitis campani aeris ictibus edatur, ut qui non intersunt, eo admoniti sono, mente saltem caeli et terrae Dominum adorent.

XVIII. Novae Ecclesiae nusquam in Dioecesi nostra, nisi permittentibus Nobis, aedificentur. In iis autem statuendis nemo se intermisceat, nisi a Nobis adcitus, et a nostro, atque industrii, exercitatique architecti, quem Nos adhibebimus, iudicio pendeat. Quum autem ea de caussa tantum aedificantur Ecclesiae, ut Deus in iis adoretur, colaturque, nisi Divini cultus ratio ante ineatur, et de comparanda, constituendaque dote deliberatum fuerit, nullam aedificari novam Ecclesiam statuimus. Ac praeterea nec novum ullum aedificium, uti iure canonum cavetur, in iis, quae sunt constitutae, sine nostra auctoritate addi, sive Sacella sint, sive Altaria, vel aliud quidpiam fieri, innovarique praecipimus, ne quid perperam, et contra disciplinam construatur, quod inde erit diruendum.

CAPUT V.

De Indulgentiis.

Inter tot fluctus, tempestatesque, quibus hominum vita adsidue agitatur, quanto subsidio sit Fidelibus ad salutis portum tenendum caelestis indulgentiarum thesaurus, quarum dispensationem divinitus accepit Ecclesia, is profecto intelligeret tantum, qui vel paullum adsequi posset, quanti vel una gutta sanguinis Christi sit aestimanda. Nam sanctissima, indulgentissimaque parens Ecclesia, ut quae pro peccatis nostris solvendae per ignem forent poenae, in aquis de fontibus Salvatoris abstergerentur, non raro aeternum illud Divinae Gratiae aerarium filiis reserat suis, ut ex redundantia meritorum, satisfactionumque Christi, et ex meritis Beatae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum, quae in unum fontem confluunt omnia, temporales has, quas Divinae Iustitiae debemus poenas, vel minuit, vel plene relaxat, quo festinaremus in illam ingredi requiem, ad quam adspiramus.

I. Animarum itaque Curatores, concionatoresque hortamur, ut cum alias saepe, quoties occasio inciderit, tum praesertim, quo tempore Iubilaeum indicitur, vel plenaria aliqua indulgentia promulgatur, antiquissimam de hac re Ecclesiae disciplinam, et mentem, et consilium in iis largiendis

exponant, quo ad spiritualis huiusce doni desiderium populus usque incitetur.

II. Sed tunc tantum Dei misericordiam per indulgentias promereri posse Fideles doceant, si non ea tantummodo praestent, quae Apostolicis praescriptionibus mandantur de animi sordibus Sacramentali Confessione eluendis, de Sanctissima Eucharistia percipienda, de ieiunio, de precibus, sed etiam si anteactae vitae poenitentia dolenter exacta, quod vitiosum est in moribus amputent, emendentque, cum proposito quidem amplius non peccandi, et satisfaciendi pro viribus Divinae Iustitiae, qui amplioris indulgentiae fructus erit maximus.

III. Ne vero Fideles, sacris indulgentiis plus aequo confisi, satisfactionis opera negligant, quae tantopere in Sacris Scripturis, et a Sanctis Patribus commendantur, vel in iis obeundis desides, et tardiores sint, iuvat quam maxime eos monere, suppetias quidem, auxiliumque ab Ecclesia filiis suis praestari, ut debitum exsolvant, cui solvendo vel virium inopia, vel vitae brevitate impares sunt, non autem a Divina Lege immunitatem, quae dignos poenitentiae fructus facere iubet; proindeque indulgentias non ita esse accipiendas, ut non simul orationi, ieiuniis, eleemosynis, aliisque pietatis exercitationibus iugiter insistant.

IV. Indulgentiae perpetuae, quas Summi Pontifices generaliter sunt elargiti, sive sodalitiis San-

ctissimi Sacramenti, sive comitantibus Sacratissimam Eucharistiam, quum ad aegrotos defertur, sive iis, qui certo tempore orant, vel aliis Christianae pietatis operibus, saepe a Parochis populo denuntientur.

V. Quae ex peculiari Apostolicae Sedis gratia impetratae sunt indulgentiae, opportuno, et conspicuo Sacrarii loco descriptae proponantur; diplomata vero in Archivio Ecclesiae adserventur.

VI. Novas indulgentias promulgare, ac proponere, nemo, etiam regularis, et quomodolibet exemptus in Dioecesi Nostra audeat, nisi a Nobis, vel a Vicario Nostro generali, Apostolicis litteris rite, diligenterque recognitis, scriptam obtinuerit facultatem (1).

VII. Non patiantur Parochi a mendicis, et erronibus indulgentias imaginibus, et numismatibus adnexas venditari. Vagos id genus homines a Paroeciae finibus arcendos depellendosque curent, implorato, si opus fuerit, saecularis magistratus auxilio, vel certe populum commonefaciant, ne fallacibus istorum sermonibus fidem adhibeat.

(1) Conc. Trid. Sess. XXI. *de Reform.* cap. 9.

de caussa, medicorum iudicio probata, concessum est carnibus uti, adcurate explicent, ut probe intelligant, eos quoque teneri lege unicae comestionis, nec licite posse horam praevertere ieiunantibus praescriptam, aut in mensa licitis, interdictisque epulis promiscue uti, aut denique extra ipsam potiones lacte permixtas sumere, vel aliud quidquam, quod a carnibus originem ducat (1).

III. Praeterea non in eo ieiunii summam positam esse demonstrent, ut vetitis cibis temperetur, nisi par incessat cura, ut quantum caro ab alimentis abstinet, tantum mens a culpa ieiunet. Nihil enim illis cibi temperantia proderit umquam, qui vel dies per ludum, et aleam, noctes per libidinem traducunt; vel iniquo foenore circumveniunt fratres, egentesque evertunt; vel procaci lingua proximi carpunt famam. Quare Parochis erit curae fideles excitare, ut corpus, subductis alimentis, domare studeant, adpetitum rationi subiiciant, cupiditates comprimant, odia, et inimicitias, simultatesque exuant, et pacem, et charitatem cum omnibus habeant; Ecclesiam, divinaque officia solito frequentius adeant; Divinam Eucharistiam saepe, sancteque sumant, animo prius per poenitentiae Sacramentum expiato; et

(1) Bened. XIV. Const. *Non ambigimus* die 15. Maii 1741. et expl. per litt. Apost. die 8. Iulii 1744. Clemens XII. Encycl. die 20. Decemb. 1759.

pauperum egestati pro suis facultatibus liberalius, benigniusque subveniant.

IV. Quum praeter senes, et adolescentes, alii quoque sint, qui ieiunii lege non penitus adstringi videntur, horum omnium nemo id sibi indulgeat, nemo suo utatur iudicio, sed de consilio, et sententia Parochi pendeat; quae quidem venia non simplex obedientia est, sed vera ex Ecclesiae auctoritate exemptio (1). Quapropter facultatem impertimur Parochis, ut in sua paroecia copiam vescendi cibis vetitis, iusta de caussa, petentibus faciant; qua in re caute adeo se gerant, ut vel nimiam indulgentiam, vel nimiam severitatem declinent; et quos ieiunii lege solvendos duxerint, hortentur, ut Divinae Iustitiae aliis pietatis operibus satisfacere nitantur.

V. Medicos quoque monitos volumus, ut in concedendis testificationibus, aegritudinum caussas adcurate expendant, et cuiusque necessitati iudicium suum adtemperent, ne inconsulta facilitate ipsi se reos violatae legis faciant.

VI. Vetiti cibi ad aegrotantium usum, ne passim, sed certis locis, neve publice venales exponantur, sed intra officinam, cuius tamen ianua non utrinque, sed una tantum pateat parte. Caupones nihil hospitibus vetitum parent, adponantque. Quicumque contra fecerit, poenis, et censu-

(1) Conc. Tolet. VIII. can. 9. S.Thom. 2. 2. qu.147. art. 4.

ris, quas adversus quadragesimae violatores Sacri Canones, et Pontificum scita statuunt, a Nobis adficietur.

CAPUT VII.

De Supplicationibus.

Ubi primum a persecutionibus quievit Ecclesia, nihil antiquius, sanctiusque habuit, quam publicas supplicationes, veluti fidelium agmina instruere, ut mutuo conspirantia precantium ora hymnis, et psalmis mala instantia averruncare, futuraque antevertere, Domino miserante, mererentur.

I. Quum itaque in Catholica Ecclesia non aliud sit hoc supplicandi institutum, quam communis quaedam totius Ecclesiae vox per templa, et per vias Deum adorantis, et Divinae Maiestati laudem, gloriam, benedictionem, gratiarumque actiones ob immensam benignitatem, et misericordiam eius coram caelo, et terra palam persolventis, et Beatam Virginem Mariam Dei Matrem, Deoque dilectos Sanctos omnes, et Caelestes omnes Spiritus deprecatores allegantis, maxime interest, ut pie, sancte, et religione quanta maxima a populo Christiano istae obeantur.

II. Quotiescumque sunt editurae supplicationes, curae erit Parochis, earum dies publice ante populo indicere, eumque monere, ut ad Ecclesiam

maiorem, unde procedendi initium ducendum erit, frequentissimus conveniat, et in sanctis meditationibus, et orationibus, prout res sancta postulat, ea animi devotione versentur, ut, quae a Deo communi omnium prece petuntur, efficaciter impetrentur.

III. Quocirca ne cuius maiestatem circumeundo sunt veneraturi, iniuria ad iracundiam lacessant, nemo inter eundum spectandi caussa subsistat, nemo colloquia interserat, nemo ocreatus, aut pileatus incedat, nemo quid petulanter dicat, agatque, nemo ex agmine decedat, nemo e laicis Clericorum ordini se interiiciat.

IV. Absque nostra in scriptis facultate nullae umquam, et quacumque de caussa supplicationes habeantur in Nostra Dioecesi, sub poena, etiam quoad exemptos, interdicti Ecclesiae, a qua exierint, et ad quam perrexerint.

V. Processiones, quae in Festo, et per octavam Corporis Christi peraguntur cum delatione Sanctissimi Sacramenti, mane tantum fieri iubemus, nisi ex aliqua iusta caussa nobis aliter visum fuerit, et tunc nonnisi de nostra speciali licentia, litteris consignata. Qui contra hoc decretum fecerit, interdicto subiaceat.

VI. Praeter supplicationem, quae in solemni Festo, et per octavam SS. Corporis Christi obtinet, nemo quacumque de caussa, audeat venerabile Sacramentum extra templum processione cir-

cumferre, nisi in tertia tantum cuiuscumque mensis Dominica per maioris Ecclesiae ambitum, vel viciniam. Caveant attamen Parochi, ne alienae Paroeciae fines adtingant. Secus enim gravissimas dabunt poenas.

VII. Processiones quaecumque nocturno tempore nullatenus fiant, sub poena interdicti Ecclesiarum, etiam regularium, a quibus processio initium duxerit; quoad laicos vero excommunicationis.

VIII. Ad supplicationes, quae universe indicuntur, sive saecularis Clerus, sive regularis etiam quocumque exemptionis privilegio praeditus, et cuiuscumque Sodalicii confratres, hora, quae a Nobis, vel ab ordinis Praefecto praestituta erit, convenire ne renuant, et maioris Ecclesiae Crucem ad terminum usque comitentur. Non obtemperantibus poena arbitratu Nostro, ex Sacri Concilii Tridentini, et Sacrae Congregationis mandato, irrogabitur.

IX. In supplicationibus Crucem praeferat Clericus talari veste, et lineo superpelliceo indutus. Quod si per alios pro necessitate sit deferenda, eadem tunc omnino servetur decentia. Sodales vero laici consueto amictu vestiti propriam Crucem appenso panno opertam ferant. Regularium autem Cruces numquam sine oblongo panno pendulo deferantur.

X. Nemo audeat tormenta, sclopos, aliaque ignivoma instrumenta explodere, vel artificia in-

cendere, nisi postquam populus pertransierit, ne a periculo cavens a supplicatione deflectat. Si quis vero ignivomis machinis Sanctorum imagines adpingere ausus fuerit, excommunicationis poena mulctabitur.

XI. Ne Divinis publicis obsequiis ludicrae, profanaeque res permisceantur, repraesentationes omnes, et inania spectacula omnino prohibemus; neque personati homines ulli speciem, habitumve, vel Sancti alicuius, vel daemonis, leonum, draconum praeseferant, sive in ipso agmine, sive pro foribus domorum, aut alias in via, vel quomodolibet in procedentium conspectu, ne fidelium pietas retardetur, et mens, animusque a Divinarum rerum contemplatione avocetur. Atque hoc tamen decreto nihil mori derogatum volumus doctrinae Christianae puerorum, angelos simplici quadam repraesentatione referendi, vel sacra Dominicae passionis mysteria, ut puta crucem, lanceam, clavos, spineam coronam, spongiam, et reliqua huiusmodi deferendi. Aeque cavere hoc loco iuvat, ne Sanctorum triumphi, vel martyria, actionesque ullae omnino, etiam extra supplicationum tempus agantur, nisi prius re a Nobis cognita, et facultate impetrata; ne forte dicto, factove ad iocum, vel lasciviam mentes spectantium commoveantur.

XII. In poenitentiae processionibus, qui cruentantibus flagellis hac illac sine ulla verecundia

per publicas plateas denudati incedunt, concursantque, ut detestabilis, efferatusque huiusmodi mos a nostra Dioecesi eradicetur, sciant se poena excommunicationis ipso facto obstrictos. Qui enim spiritu Dei aguntur, clauso ostio intra cubiculum ad Divinam Iustitiam placandam castigant corpus suum, et in servitutem redigunt.

CAPUT VIII.

De Funeribus.

A supplicationibus expediti ad funera, et exequias sermonem convertimus, quod procedendi, ac supplicandi genus alterum est. Quum autem nihil Christianae pietati, fideique tam consentaneum sit, quam mortuos sepelire, eorumque animas piis ad Deum precationibus, ac officiis prosequi, quamplurimi in Ecclesia ritus, et coeremoniae, et preces in ducendis, agendisque funeribus invaluere. At siquidem non raro fit, ut quod est in mysterio, et pietate fundatum, saepe vel in vanam vertatur ostentationem, vel avaritia depravetur, haec teneri, servarique in posterum edicimus.

I. Nemo in primis efferatur, nisi signum sueto campanae sonitu praecesserit; quod sane nec ante lucem, nec ingruentibus tenebris edi iubemus. Caveatur autem, ne in Ecclesiam sepeliendi caus-

sa mortui tunc importentur, quum solemne sacrificium cum cantu celebratur, nec diebus festis, nisi Missarum omnium sacrificiis peractis.

II. Ubi exequiarum instat tempus, una omnes, unoque ordine qui operam funeri sunt daturi, sive Sacerdotes, sive Clerici tum in Sacris, tum in minoribus, ac etiam prima initiati tonsura, in talari veste undique clausa, et lineo superpelliceo, vel eo habitu, quo uti solent in Choro, et Clericali bireto obtecti, bini cum Parocho ab Ecclesia ad excipiendum, deducendumque cadaver procedant. Nec quisquam se ab officio dimoveat, donec funus in Ecclesiam erit deductum, et peractae preces, et coeremoniae omnes fuerint. Qui secus fecerit, eleemosyna illi negetur.

III. Mortui recta in Ecclesiam, ubi sunt humandi, efferantur, neque ostentationis caussa pompa umquam circumducatur. Vias vero designare, ad Parochos edicimus spectare, tametsi defunctorum corpora in Regularium Ecclesias sint deportanda.

IV. Caveat Ecclesiae Procurator, ne cum quoquam de sepultura, deque iustis funebribus paciscatur quidquam, quod nefariae simoniae, aut sordidae cupiditatis suspicionem redoleat; nam, si secus fecisse deprehensus fuerit, severe a nobis punietur.

V. Videant animarum Curatores, ne cui Christi fideli, qui in Ecclesiae gremio vita functus

sit, ecclesiastica sepultura vel denegetur, vel differatur, eo etiam nomine, quod ea quae vel iure, vel consuetudine pro operae mercede in funere sunt praestanda, non persolvantur, aut etiam denegentur; sed rem ad nos deferant, ut quod pro stipe, praesertim pauperum clericorum, et funerum impensis dari, recipique aequum ex consuetudine est, heredes persolvant. Si quis contra hoc decretum quidquam admiserit, praeter simoniacae labis pravitatem, graviter etiam arbitrio nostro mulctabitur. Quod si quis de defuncti adparatu, vestibus, aut ornamentis accipere, aut auferre aliquid audeat, pignoris, aut compensationis loco, severissimas dabit poenas.

VI. Postrema Officia quum persolvuntur, caveant Sacerdotes, ne ullum permisceant sermonem, interserantque colloquium, aut quid agant indecorum, quin ex obiecta nostrae mortalitatis, communisque naturae specie, modestiam, et miserationem ostendant, ut qui circumstat populus, ad deprecandum pariter Deum excitetur, et a fluxae vitae illecebris avocatus, ad aeternae vitae contemplationem erigatur.

VII. Nemini liceat in funus, qui vices suas obeat, mittere, cuius inde stipem quantulamcumque ipse percipiat.

VIII. Regulares numquam, cuiusvis consuetudinis praetextu, ad levanda defunctorum corpora sine praesentia Parochi accedant, tametsi in propria eorum Ecclesia sint sepelienda, sed om-

nino in Parochialem conveniant Ecclesiam, ut cum Parocho ad defuncti domum se conferant. Si secus fecerint, interdicta statim maneat Ecclesia.

IX. Si defunctus in ea sit egestate, ut de proprio efferri nequeat, nec propinquos habeat, qui de re sua supplere possint, nec demum alicui sodalitati sit adscriptus, quae funeris expensis succumbat, tunc Parochus sine ullo emolumento, sumptibus Ecclesiae, et servatis caeremoniis omnibus, illum ad sepeliendum deducat, sex saltem adhibitis Sacerdotibus si adultus fuerit, quatuor vero si parvulus. Parochus si defecerit, arbitrariis, et etiam suspensionis ab officio, poenis mulctabitur. Participantibus vero fructus unius mensis adimentur.

X. Ut quae funeribus debetur opera pie, studioseque impendatur, atque ordine omnia administrentur, statuimus, ut eleemosynae, quae funeris caussa Clericis dantur, ne in ipsa Ecclesia, vel populo inspectante dividantur. Sed funerum curator, cui funebrium eleemosynarum percipiendarum, servandarumque munus incumbet, singulis mensibus eas partiatur, qua in re nemo contentiose, vel turbulente se habeat, neque cupidius eas praeripere contendat, sed suo quisque loco quod aequum dari est, silentio accipiat. Qui vel ad crucem Ecclesiae prodeuntem, vel maxime quum cadaver domo effertur, vel divinis Officiis non interfuerit, aut coeptis iis advenerit, aut priusquam absolvantur discesserit; item qui sine talari habitu, superpelliceo, habituque cho-

rali funus, Officiaque obierit, vel intra Sacrarium, aut alicubi in Ecclesia se continuerit, is omni eleemosyna, funerisque emolumento careat, aliisque poenis adficietur.

XI. Cerei, et funalia, quae Clericis funus deducentibus dispertiuntur, non ad mortui cultum, sed ad rei mysterium tribuuntur. Ut igitur sancti instituti mysterio serviatur, collucentia ea praeferre quemque volumus, ut ea luce fidem illius, qui effertur, testentur.

XII. Quae vero circum feretrum ardent, vel in maiori ara, dum exequiae, et Officia peraguntur, communi Ecclesiarum omnium instituto, ac Synodalium constitutionum praescriptis, ita oblata Deo censentur, ut a nemine auferri possint. Quamobrem Ecclesiae Sacrario ea omnia adiudicamus, et Divinis tantum Officiis adhiberi volumus, nisi de nostra voluntate, permissuque, in alium aliquem Ecclesiae usum converti placuerit. Quod si procera ab defuncti heredibus pecunia numeretur, ut satis operae fiat, tunc tantum sibi retineat funerum curator, quantum fuerit cerae consumptum. Quod supererit, Sacrario item adiudicatum volumus.

XIII. In ea defuncti sepeliantur Paroecia, a qua Sacramenta perceperunt; praeterquam si vel sepulturam ipsi delegerint, vel tacita electione ad maiorum sepulcra deferantur. Quum vero Catholicae communionis pars sit sepultura Ecclesiastica, omnino ab Ecclesia arceantur, qui extra commu-

nionem sunt: haeretici nimirum, schismatici, et nominatim excommunicati, et interdicti, dummodo in articulo mortis non fuerint Ecclesiae reconciliati; tum et suicidae, qui non vi morbi, aut insania, sed de industria sibi mortem consciverunt, ac demum publici inpoenitentes, et notorii peccatores, qui nullo contritionis signo e vita decesserunt.

XIV. Clericos sive saeculares, sive regulares monitos volumus, quod si quem ad vovendum, iurandum, aut quovis modo promittendum induxerint, ut in propria Ecclesia sepulturam eligat, aut electam immutet, anathematis vinculo, etiam re non sequuta, remaneant irretiti, cuius absolutio summo Pontifici reservatur. Quod si humatus iam fuerit, et infra decem dies depromptus non reddatur Parocho cum omnibus emolumentis, eorum Ecclesiae, vel Oratoria interdicto subiaceant (1).

XV. Suorum morte commoveri, et moerore ac lacrymis dolorem, desideriumque testari, non est ab humanitate alienum. Sed certe a Christianae pietatis disciplina abhorret, ut eiulatibus, et lamentis feminae funus prosequantur, et clamoribus, indecorisque ploratibus Ecclesiam perturbent. Quare Parochis praecipimus, ut toto conatu morem istum tolli contendant, et feminas lessum facientes ab Ecclesiis modis omnibus arceant.

(1) Clement. *Cupientes de Poenit.* cap. 1. *de sepult.* in 6.

XVI. Sepulcra sub ipsis altaribus, vel prope ne effodiantur, extruanturve, sed a postremo altaris gradu duos saltem cubitus remota statuantur. Si qua propius constructa fuerint, ea submoveri, aut obstrui iubemus. Neque fas sit intra chorum, vel intra Sacellorum septa sepulcrum ullum fodi, aut strui.

XVII. Nemini licere decernimus demortui corpus ex ulla cuiusvis ordinis Ecclesia, ubi perpetuae traditum fuerat sepulturae, alio adsportare. Quod si quis fecerit gravissime a nobis sacrorum canonum iure punietur.

XVIII. Nullius defuncti corpus terrae mandari iubemus, qui non horas saltem viginti quatuor ante animam egerit.

XIX. Ecclesiarum, locorumque sacrorum pavimenta scindi ad cadavera humanda, hoc Synodali decreto prohibemus. Si Ecclesiastici fuerint, qui rem permiserint, suspensione a divinis coercebuntur, et ad damnum compensandum cogentur; si laici, interdicto subiicientur oratoria, donec in integrum locus restituatur.

XX. Nemini liceat in funere quemquam laudare, nisi quem ipsi dignum honore iudicaverimus.

XXI. Quae in aliorum exequiis sunt servanda statuimus adhuc, statuenda nunc remanent quae ad nostrum, nostrorumque successorum adtinent funus. Quum ab hac vita migrare Archiepiscopum contigerit, saecularis regularisque Clerus, et sodalitates item omnes ad illius funus conveniant, quod

ut qua decet religione, et dignitate ducatur, Cathedrale Capitulum adprime curabit. Suprema hinc pietatis Officia solemni ritu in utraque Cathedrali, et in unaquaque maiori Ecclesia agantur. Sacerdotes vero, sive urbani, sive dioecesani, die quo pro defunctis Sacrum fieri liceat, pro illius anima celebrent.

XXII. Exequiis rite, religioseque persolutis, in utraque Urbe Capitulares, et in utraque dioecesi Parochos cum Clero, et populo, publicas inire supplicationes mandamus, ad Divinam Maiestatem exorandam, ut orbato gregi bonum, vigilemque pastorem concedere dignetur, qui omni solicitudine animas sibi concreditas ad caelestia pabula perducere valeat.

XXIII. Singulis porro annis, ut sacro iure cautum, in utraque Cathedrali, vertente die, quo postremus Archiepiscopus vitam cum morte commutavit, illius anniversarium, quamdiu proximus eius successor vixerit, peragatur officium.

XXIV. Tertio Nonas Novembris, qui dies omnium Fidelium defunctorum commemorationem proxime sequitur, quotannis ab utroque Capitulo solemni ritu, ut iuris est, anniversarium emortuale officium pro animabus defunctorum utriusque dioecesis Pontificum celebretur. Ac demum postridie diei, quo pro defunctis Archiepiscopis Sacra anniversaria sunt celebrata, pro Canonicis item defunctis pie riteque peragantur.

PARS QUARTA

CAPUT I.

De vita, et honestate Clericorum.

Quamvis multa pro re nata de Clericorum vita, et integritate passim sint a Nobis animadversa, tamen, quia summum hac in re ad populos in Christianae disciplinae studiis retinendos positum est momentum, singillatim huc nonnulla corrogare visum est in Domino.

I. Qui igitur in Dei militiam sunt adscripti, et se, vitamque suam Deo exercituum devoverunt, continuo meminerint, cuius Principis ministerio funguntur, et quantum se aliis intelligunt dignitate praecellere, tantum religione, modestia, pietate, et quam Deus tantopere suis commendavit, humilitate, universo populo praeire contendant. Ad virtutum enim imitationem exemplo magis duci solet populus, quam doctrinae praeceptis.

II. Sacerdotes, non modo singulis Dominicis, et festis diebus, sed crebrius etiam reliquis feriis, quoad eius fieri poterit, Divino Sacrificio operentur (1). Sedulo autem Ecclesiis, quibus sunt adscripti, inserviant, et ea omnia quanta maxima religione praestent, quae sunt a Nobis superius sancita (2).

(1) Conc. Trid. Sess. XIII. *de Ref.* c. XIV.
(2) Conc. Trid. ibid. c. XVI. Vid. Part. I. Cap. III. Part. II. Cap. IV. et VII. Part. III. Cap. I. huius Synodi.

III. Apostolicae Sedis iussa exsequentes [1] Synodali hoc decreto sancimus, ut in cunctis utriusque nostrae dioecesis Ecclesiis *Receptitiis*, ad clerialium fructuum portiones suscipiendas certus, ac definitus Sacerdotum Clericorumque sit numerus: ut quoties praestituta portio aliqua vacaverit, qui ad eam adspirant, praeter adiuncta omnia, quae desiderantur, examen coram Nobis, aut nostro Vicario generali, et tribus saltem examinatoribus synodalibus subeant, quo eos deligamus, et Ecclesiae adgregemus, et in portionis possessionem deducamus, quos pietate, et doctrina digniores iudicaverimus, quacumque seclusa adpellatione: ut qui ad huiusmodi portiones percipiendas sunt iure adsciti, quemadmodum actualis operae, in animarum cura, ita et inviolabilis residentiae debito ad Tridentini Concilii formam [2] sint obstricti: ut ubi quis ex participantibus aliquod aliud in Ecclesia beneficium adsequatur, iure ipso participatio vacare censeatur.

IV. In Ecclesiis Collegialibus Choro singulis Dominicis festisque diebus intersint non ii tantum qui sunt in Collegium adlecti, sed universi de Clero qui numquam se in conlegium adligendos sperent, nisi ex iurata attestatione suam nobis, operam adsiduitatemque probaverint. In *Recepti-*

---

(1) Const. Pii Papae VII. *Impensa* die XII. Aug. MDCCCXIX. quam ad Synodi calcem conferas.

(2) Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. XII. et Sess. XXII. cap. 17. Vide supra Part. III. Cap. III. num. 31. huius Synodi.

tiis vero ad solemne Sacrum, et Vesperarum Officium, quod cantu iisdem diebus celebrari ex vetustissima nostrae Dioecesis consuetudine iubemus, cuncti item de Clero, chorali habitu ordinis sui munera obeant.

V. Solemnioribus autem anni festis, nimirum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostis, SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, totiusque octavae, SS. Apostolorum Petri, et Paulli, Adsumptionis B. M. Virginis, omnium Sanctorum, et Sancti Patroni cuiusque loci, sive in Collegialibus, sive in *Receptitiis* Ecclesiis Divina Officia solemni ritu integre cum cantu celebrentur.

VI. Qui se, nisi invaletudinis (1) vel alia iusta caussa impediti, ab officio subduxerint, si participantes sunt punctationi subiaceant, si nihil ex Ecclesiae fructibus percipiunt, in emolumentis, et adventitiis mulctentur: si in minoribus sunt constituti Ordinibus, post tertiam monitionem ex clericorum albo expungantur. Adamussim autem ea omnia serventur, quae sunt a Nobis superius statuta (2).

VII. Praeterea quotiescumque Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adorandum populo in altari proponitur, aut per Ecclesiam, aut ex-

---

(1) Vid. supr. Part. II. Cap. VIII. n. VII.
(2) Vid. supr. Part. I. Cap. III. n. XII. et Part. II. Cap. VIII. num. X.

trinsecus supplicandi caussa circumfertur, conveniant omnes, atque in tanti mysterii adoratione populo praeeant exemplo (1). Pari religione, quum Eucharistiae Sacramentum ad aegrotos defertur, ut debitus honor Regi regum, et Domino dominantium tribuatur, sex saltem ex Sacerdotibus, et in minoribus Ordinibus omnes SS. Eucharistiam cum luminibus accensis comitentur.

VIII. Qui Sacerdotio nondum inaugurati sunt, Sacrosancto Missae Sacrificio adsint quotidie: Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta bis saltem quoto mense suscipiant, si in minoribus Ordinibus sint constituti; singulis vero diebus Dominicis, et solemnioribus festis, si Diaconi, vel Subdiaconi sint: cunctis item Dominicis, et quotidie vero adventus, vel Quadragesimae tempore in Ecclesiam ad erudiendos in Fidei rudimentis pueros conveniant (2). Quae omnia, praestent nec ne Clerici, minutatim, ac summa adcuratione adnotabunt Parochi, et ad Nos singulis mensibus referent.

IX. Religionis, et sacrarum rerum studio adsiduam navent operam, ut ad Ecclesiasticae disciplinae cultum instituti, quidquid scientiae adripuerint, ad Dei gloriam, ad Ecclesiae decus, et dignitatem, ad populi salutem conferant. Quamobrem nemo iis careat libris, unde verae sa-

(1) S. Car. Conc. Prov. III.
(2) Vid. supr. Part. II. Cap. VIII. n. 7.

pientiae praecepta hauriuntur, et quos indigna foret res, si prae manibus non habeant Sacerdotes. Atque nullam profecto excusationem admissuros Nos sciant, qui praesertim Sacra Scriptura, quae merito liber Sacerdotalis a Tridentinis Patribus adpellatur, destituuntur, vel Concilio ipso Tridentino, tum et Nostris Synodalibus Constitutionibus, Catechismo Romano, et Sancti Caroli Borromaei instructionibus, quae ad Verbi Dei praedicationem, Sacramentorumque administrationem pertinent.

X. Studiis litterarum qui concessu nostro in propriis Ecclesiis extra Seminarium vacant, ut in scientia progrediantur, et utiles evadant operarii in vinea Domini, singulis semestribus se Nobis sistant, ut sui quisque profectus specimen exhibeat; quod nisi praestiterint, ab ordinum exercitio prohibeantur.

XI. Quicumque de Clero, et cuiuscumque ordinis, non alia prorsus quam longa, et ad talos usque demissa veste nigri coloris utantur, et pallio utique nigro, quod ad talos item defluat, et tunicam aequet. Collare autem more prorsus Ecclesiastico deferant omnes, neque umquam cum fascia linea, vel serico sudario, vel simili quopiam colli integumento in publicum audeant prodire. Clericalem item coronam gerant patentem, et conspicuam, et quae cuiusque ordini congruat. Pileum non militari forma, sed ea omnino, quae

in clericorum usu est, et prout Ecclesiasticum hominem decet. Qui secus fecerint, si in prima tonsura, vel minoribus ordinibus sunt constituti, a clericali statu deiicientur; si sacris ordinibus initiati, praeter suspensionem a divinis, beneficiorum quoque fructus semestres amittent, quos iam nunc Sacrario Ecclesiae adtribuimus. Contumaces vero, etiam beneficiis ipsis, si ita meriti videbuntur, exuentur.

XII. Porro quum caelestia arma, quibus, dum in hoc saeculo peregrinamur, perpetuo nobis est adversus salutis nostrae hostes utendum, preces sint, et oratio sancta, ideo Sacerdotes omnes in Domino vehementer hortamur, et obsecramus, ut nullam dilabi diem patiantur, qua non Orationi vacaverint. Quin, ut exercitationi huic adsuescant, et ut propria etiam Sacerdotis officia, quae quidem et multa, et gravia sunt, serio animadvertant, magnopere optamus, ut singulis annis a turba seclusi, in pium aliquem recessum se conferant, et octo saltem dierum spatio, Caelestium rerum contemplationi dent operam (1). Et quandoquidem de aliorum salute solicitos difficile reputamus, qui propriae consulere negligunt, idcirco qui, intra tres annos saltem, Nobis non probaverit Spiritualibus exercitationibus in religiosa domo va-

(1) Benedictus XIV. Const. *Ubi primum* die III. Decembris an. MDCCXL.

casse, nec ad administrandum Poenitentiae Sacramentum, nec ad Divini verbi dispensationem, nec ad alia hoc genus gravissima munia admittetur.

XIII. In externo cultu, et in toto corporis ornatu decor ordinis elucescat, et saecularis luxus, atque ostentatio omnino vitetur (1). In incessu, gestu, sermone nihil non grave, et moderatum, et religione plenum praeseferant. Comam nemo nutriat, et nemo capillos, nisi simplici cultu habeat. Ab eorum usu, et familiaritate, quorum aut suspecta fama, aut cognita vitia, flagitiaque sunt, prorsus declinent. Necessitudinem, amicitiamque cum nemine ineant, nisi ex quorum familiaritate, ac vitae exemplis, in Ecclesiasticae, et spiritualis disciplinae exercitationibus aliquid proficere possint.

XIV. Cum feminis contubernium, et familiarem consuetudinem, nisi fuerint in primo, aut secundo consanguinitatis gradu, vel affinitatis in primo tantum coniunctae, ne ineant (2). Decet enim Ecclesiasticos homines, non labem solum, aut periculum, sed etiam labis suspicionem declinare Quod si ancillis omnino opus habeant, eas aetate provectas, ac saltem quinquagenarias, et probatissimis moribus conducant (3). Caveant item ne

(1) Concil. Trident. Sess. XXII. *de Reform.* c. I.
(2) *A nobis de Cohabit. Cleric. et mulier.*
(3) Cap. I. II. et IX. *de Cohabit. Cler. et mul.*

mulieres frequenter invisant, aut officii caussa per vias umquam deducant, ne scandali occasionem populus accipiat. Nemo demum mulierès, vel puellas doceat, non legere, non scribere, non canere, non quidquam aliud, nisi eius rei a Nobis scriptam facultatem obtinuerit.

XV. In popinas, tabernas, cauponas edendi, aut bibendi caussa numquam inferant pedem, sub poena suspensionis a divinis ipso facto, nisi cogente necessitate longi itineris caussa. Scenica item spectacula, histrionum actiones, choreas, ludos maxime omnium aleae, tesserarum, talorum, pictarumque tabellarum evitent; neque ludo cuicumque in publicis officinis, vel alio publico loco dent operam. Atque his quidem ludis non ludere solum, sed ludentes etiam spectare vetamus. Quod si valetudinis caussa parva pila ludere, aut alio exercitationis genere uti, Clericis libuerit, id quidem in privato tantum illis permittimus, et nisi lucrum intercedat.

XVI. A saeculo segregati curas abhorreant saeculares, nec ullum mercaturae, aut negotiationis genus sive per se, sive per alios exerceant (1). Nemo aliena praedia, census, ac reditus conducat, nec ulla cum conductoribus communio iungatur. Nundinas negotiorum caussa nemo adeat.

(1) Bened. XIV. Const. *Apostolicae servitutis*, Clemens XIII. Const. *Cum primum*.

Nemo alienorum bonorum gerat procurationem, aut rem familiarem in laicorum domibus administret (1). Nemo alienas caussas ad saeculare tribunal actitet, nemo procuratorem, vel advocatum agat, nisi sui ipsius, vel Ecclesiae suae, aut si egenorum res agenda, tuendaque sit. Atque ne has quidem suscipiat umquam, nisi id a Nobis scripto permissum illi fuerit. Multo minus tabularii, vel notarii officio profanis in rebus fungatur. Nec demum tutelam, vel curam cuiusquam gerat.

XVII. Ad primas noctis tenebras domum se recipiant, nec inde ullatenus egrediantur. Quod si quis post primam noctis horam per tenebras vagare, aut non praelato lumine, aut sine Clericali habitu deprehensus fuerit, sex mensium in correctionis domum reclusione mulctabitur. Ac severius, duriusque, si noctu profanis cantibus operam impendant ad saecularium oblectamenta, vel per summum facinus, ad feminarum aures deliniendas.

XVIII. Quum nihil adeo abhorreant oculi, quam Clerici armati aspectum, interdicimus Clericis sive interdiu, sive noctu armorum genus omne, nam arma propria ordinis sunt orationes, et lacrimae.

XIX. Sane coram Domino profitemur, et in Domino omnibus spondemus, Nos nec vigilantiae, nec solicitudini, nec industriae, nec labori umquam parsuros, quo Ecclesiastica disciplina integra,

---

(1) Tit. 50. *Ne Clerici, vel Monaci*, Cap. 1. et 11.

atque incorrupta custodiatur. Sed videant Vicarii Foranei, atque Parochi per viscera Domini nostri Iesu Christi, ne quid detrimenti hac in re patiatur Ecclesiastici gradus decor, et dignitas, nec Nobis denunciare praetermittant, qui conditionis, officiique sui immemores, ex his legibus ullam violare, vel temere frangere praesumpserint, ut severioribus etiam poenis pro merito plectantur, praeter eas, quae per sacros Canones, Apostolicas Constitutiones, et Synodalia decreta sunt statutae.

CAPUT II.

De Moralium Quaestionum conlationibus.

Quum nihil magis ad Ecclesiasticae disciplinae integritatem tuendam, populorumque salutem procurandam conferre videatur, quam ut moralium quaestionum disceptationes in singulis Ecclesiis habeantur, sanctissimum institutum ut perpetuo in utraque Nostra Dioecesi servetur, haec in Domino Synodali constitutione sancimus.

I. Quo dispensatores Mysteriorum Dei ea animum suum informent doctrina, quae ad rectam, probamque Christianae vitae disciplinam Fidelibus proponendam, et ad Sacramenta rite, utiliterque ministranda, adprime est necessaria, decernimus, ut semel singulis hebdomadis in unaquaque Ecclesia tum Cathedrali, tum Parochiali omnes om-

nino, sive Dignitates, et Canonici, sive Parochi, Vicarii Foranei, Presbyteri, et in sacris ordinibus constituti ad conlationes moralium quaestionum conveniant, in quibus Divinarum legum, rerumque ad aeternam salutem spectantium vis, et ratio disquiritur, et ultro citroque disceptando veritas investigatur, et detegitur, detecta validioribus rationum momentis munitur, et munita unanimi consensione firmatur; ut ita in cunctis Ecclesiis stabiliatur doctrinae concordia, et omnes qui custodiunt scientiam, unam habeant eamdemque vocem, et vera ac propria iis malis adferant remedia, quae ex praeconcepto pravarum opinionum iudicio oriri passim videmus.

II. Quae in omni disciplinarum genere obtinet methodus, ea adamussim in moralium disceptationum academiis adtendatur, ut singillatim altera post alteram Theologicae materiae pertractentur, et nisi penitus occupatis, ac discussis quaestionibus omnibus, quae cuiusque sunt propriae, ad alteram non progrediatur materiam.

III. Ut una, et communis quoto anno moralis doctrinae pars ab universo utriusque Dioecesis Clero pertractetur, iubemus Parochos ex condicto de hac re consulere.

IV. In quaestionibus dirimendis omnino a vanis, futilibusque opinionibus abhorreant, et ea tantum momenta perpendantur, quae a Scripturarum oraculis, Sanctorum Patrum doctrina, Conciliorum

decretis, et summorum Pontificum definitionibus, nedum a recta etiam ratione proficiscuntur; ut quod veritati consonum, vel propius ad veritatem ipsam accedere videbitur, id unum, secluso partium studio statuatur. Quod si libratis adcurate rationibus, opinionibusque, adhuc animus haereat anceps, ea omnino eligatur, quae longius a peccati periculo distare videtur.

V. In utraque Cathedrali, qui hisce conventibus praesit, auctoritate nostra eligemus. In Parochialibus vero, ubi nemo a nobis specialiter fuerit designatus, coetui praeerit Parochus, vel si eum legitime abesse, aut infirmitate impeditum, vel alia gravi cura distentum esse contigerit, is quem Parochus ipse in hanc rem sufficiet. Si plures sint in loco Parochi, eum praeesse conventui volumus, qui Maiori praeest Ecclesiae.

VI. Conventus in Ecclesiis Parochialibus habeatur, et quidem in Sacrario, si percommodum erit. Stata itaque die, et hora, campanae signum ante detur, et ubi convenerint omnes, implorato Divini Spiritus lumine, Praefectus doctrinam, de qua quaestio est, perspicue proponet. Mox qui in superiori conventu fuerat designatus, rem adposite edisseret, enucleabitque, et facta omnibus potestate obiiciendi, quae contra stare videntur, is diluere omnia in se recipiet, et ubi a dicendo se liberaverit, suam promet Praefectus sententiam. Demum unam, alteramque in proximis comitiis

disputandam quaestionem denunciet Praefectus, et gratiis Deo actis conventus dimittatur.

VII. Rogamus autem enixe omnes in Domino qui doctrina, et rerum usu, atque exercitatione praestant, ne in sanctis istis concertationibus, ex quibus innumera prope commoda consequuntur, muti sint; quin quidquid adsiduo studio, ac labore, ac diligenti observatione, atque experientia didicerunt, in medium proferant.

VIII. Sane isto moralium conlationum adiumento, quum nihil utilius, praestantiusque sit, sive ad dubios animos firmandos, sive ad sarctas tectas sanctissimas leges servandas, sive ad religionem, pietatemque fovendam, amplificandamque, profecto fore neminem dubitamus, qui et suae, et aliorum salutis ita incuriosus fuerit, ut non libenter huic pareat sanctioni. Ne tamen quis arbitretur, impune se iussa haec detrectare posse, sciat profecto, si de Confessariis res erit, nemini nos administrandi Poenitentiae Sacramentum daturos facultatem, nisi iurato Parochi, et Vicarii Foranei testimonio constet, impigram se, adsiduamque illis operam navasse; si de Presbyteris tantum, praeter secessionem ab Ecclesia, a Divinis etiam vel eo nomine arcebuntur, quod sui ordinis, ac ministerii officia, quae multa, et gravissima sunt, addiscere abnuerint, et ad Christianae plebis institutionem minime se idoneos, aptosque praestare studuerint; Si de iis demum, qui

in sacris ordinibus sunt constituti, numquam ad maiores ordines provehentur.

IX. Punctatoris vice Vicarius Foraneus fungatur, et in quolibet conventu, eorum, qui desiderantur, nomina, qua par est fide, et sedulitate in librum conferat, cuius exemplar singulis bimestribus ad nos transmittat.

CAPUT III.

De Capitulo, et Canonicis.

Qui in Ecclesiae Senatum cooptati, et a recta ratione, rectaque vivendi regula nacti sunt nomen, quemadmodum in Clero primum honoris obtinent gradum, ita et religionis, et pietatis commendatione omnibus praeeant, ut eorum exemplo non reliqui de Clero tantum, sed populus etiam ad pietatem, et religionem colendam excitetur.

I. Singulis mensibus, prima quaque Dominica die, praeter Quadragesimam, Canonici omnes, Vesperarum, et Completorio Officio absoluto in unum ad spirituale Capitulum conveniant. In eo nihil consultetur, agaturve, nisi de iis, quae ad Ecclesiae cultum, vel ad Divinorum Officiorum celebrationem pertinent; tum et de sacrorum rituum, caeremoniarumque observantia, et de sacris per annum functionibus. Campanae signum Archidiaconi nutu, vel eo absente, alterius semper di-

gnioris non praetermittatur, quod et in electionibus Capitularium officiorum singulis annis pari modo servetur.

II. Praeter stata ista tempora, quotiescumque pro rei cuiusvis deliberatione Capitulum erit cogendum, nisi a Nobis, vel a Vicario Nostro generali sit indulta facultas, convocari vetamus.

III. Capitularia Comitia neutiquam, nisi implorato ante Sancti Spiritus lumine, inchoentur. Tum vero Canonici pro sua dignitate, antiquitateque consideant, et praeterquam de rebus, quarum caussa convenere, non colloquantur. Res ubi proposita fuerit, singuli suo quisque loco sententiam modeste, ac serio proferant.

IV. A Capitulari conventu nemini Canonicorum abesse licebit. Qui, praeterquam si iusta, et necessaria caussa intercesserit, quae a Nobis, aut Vicario nostro probetur, abfuerit, unius diei distributionibus privatum volumus.

V. Qui in Capitulo sententiam alieno loco dixerit, aut dicentem interpellaverit, aut negotii quidquam alicui facesserit; qui intempestiva dicacitate, vel iocis, et cachinnis a loci, et instituti gravitate alienis, actionem interturbaverit; qui ante dimissum Capitulum, et missione a Vicario Nostro non impetrata, discesserit, mense uno a dicenda sententia prohibeatur, illiusque mensis distributiones, partemque ex communi massa sibi obvenientem amittat, perinde ac nihil eo die egis-

set. Quod si, discrepantibus sententiis, quis in sua tuenda, vel quum dissentienti respondeat, vel quum contra disserat (quod utique unicuique licebit) maledictis, et contumeliis fratrem incessere non verebitur, Vicarius rem ad Nos deferet, qui rixosos istos vel ad annum a Capitulo arcebimus, vel aliis poenis pro modo culpae mulctabimus.

VI. Ut quae in commune commodum conducere omnes existimant, libere consulantur, statuanturque, decernimus, ut de quacumque re deliberetur, sive de locationibus, sive de contractibus, sive de officiis mandandis, sive de litteris scribendis, sive de sumptibus faciendis, liberum sit omnibus suam dicere sententiam, sed res aliter quam latis occulte suffragiis non statuantur, et nisi duae ex tribus partibus consenserint. Declaramus tamen tunc Canonicos censeri capitulariter congregatos, quum eorum numerus alteram ex duabus viventium partibus excesserit.

VII. Ubi singularis alicuius Canonici res erit discutienda, ut quid consulendum sit, pro sua quisque religione libere statuat, omnino e Capitulo is egrediatur, tum et si quis tertio gradu propinquior illi sit. Secus quidquid concessum, negatumve fuerit vim nullam habere decernimus. Nullos autem declaramus contractus, et stipulationes, quibus rei capitularis Curator, absque Canonicis ad id consulto deputatis, interfuerit. Nullos item edicimus haberi contractus locationum bonorum

patrimonii Capitularis, qui cum Canonicis ipsis initi sint, aut eorum coniunctis ad secundum usque gradum, modo a Nobis de Ecclesiae utilitate edoctis, rei facultas scripto non fuerit concessa.

VIII. In suffragiorum paritate iterum atque iterum, si oporteat, scrutinium fiat, et si res triduo non finiatur, ad Archiepiscopum determinatio, quaecumque ea sit, seu electio devolvatur,

IX. Ad refringendam in occultis suffragiis ferendis improbitatem quamcumque, et scandalum, et offensiones, hoc synodali decreto sancimus, ut unusquisque schedam propria manu subscribat, partemque, cui adpictum est nomen, glutino iungat, ut nullatenus legi possit. In scrutinio, si cui schedae absurdum aliquid fuerit consignatum, vel fortasse turpe, et inhonestum, aut etiam quod famosi libelli foeditatem praeseferat, pro nullo habeatur suffragium; et interim, scrutinio exacto, qui Capitulo praeest, sub poena suspensionis, suffragia omnia nostro Vicario generali tradat, qui cunctis patefactis nominibus, quis huiusmodi indignitatis indignus auctor fuerit, noscat, quem trium mensium reclusione in domum correctionis coercitum volumus.

X. Qui in Capitularibus Comitiis ad publicum munus, negotiumve gerendum sunt delecti, mandatum officium non recusent, nisi excusationem occultis suffragiis acceperit Capitulum. Qui non constituta caussa in recusandi pertinacia perstite-

rit, dimidia is quotidianarum distributionum parte per annum mulctetur. Si vero iniuriam sibi a Capitulo ea in re factam existimaverit, caussam ad Nos referet, ut ea cognita, et perpensa, quid aequum fuerit statuamus.

XI. Singula Capituli acta, prout quidquid decretum, constitutumque fuerit, in codicem ad id comparatum Notarius Capitularis conceptis verbis referat, et signatis quidem Canonicorum, qui Capitulo interfuerint, nominibus, ut proxima, quae communis omnibus erit, die, deliberationem coram cunctis evulget. Praecipimus autem tam dignitatibus, quam Canonicis, ut ne quis, quod actum, dictumque in Capitulo sit, efferat, enuncietque, qui enim enunciasse aliquid compertus fuerit, severe a Nobis punietur.

XII. Canonicus, qui a Capituli secretis erit, litteras communi omnium nomine, absque mandato numquam conscribat. Quas autem mandato accepto conscripserit, non prius foras emittat, quam in pleno Canonicorum conventu legerit, ut de verborum etiam proprietate commune omnium sit iudicium. Quae autem ad Capitulum sunt datae, ne aperiat, nisi in Capitulari coetu, et sive quae mittit, sive quae recipit in adversaria referat.

XIII. Sedulo curent Canonici, ut Capituli monumenta in tabulario capitulari diligenti custodia adserventur. Canonicus, cui publicas Capi-

tuli tabulas custodiendi munus incumbit, nullum ex tabulario scriptum, aut scripti exemplum, nisi consensiente Capitulo depromat. Ac si exscribendum aliquid sit, id aliter quam in ipso archivio, aut opportuniori alio Cathredalis Ecclesiae loco, se praesente fieri ne patiatur.

XIV. Sacras Reliquias, et vasa pretiosa perquam cautissime custodiat Thesaurarius. Quominus autem quid de sacra Ecclesiae supellectili, inconsulto Archiepiscopo, aut vendat, aut quovis modo distrahat, omnino sub gravissimis poenis prohibemus.

XV. Domus Dei decor omnis, quum a Sacristae diligentia pendeat, sedulo is cuncta inspectet, et quae in rem reputaverit, sacristis minoribus praecipiat. Etenim hi si quando satis officio suo non fecerint, id nonnisi praesidis culpae vertemus. Curet igitur, ut Templi fores non ante diluculum pateant, et primis ingruentibus tenebris omnino claudantur; ut in lampadibus e regione Sanctissimae Eucharistiae diés, noctesque perenne ardeat lumen; ut Templi pavimentum semel saltem in hebdomada omni sorde purgetur, et altaria crebro poliantur; ut aqua lustralis numquam in fonte deficiat, et singulis dominicis diebus sacretur; ut silentium summa religione custodiatur in Sacrario, et ociosi homines inde arceantur; ut turrim Campanariam inquietus nemo conscendat, nemo ebrius, et aera statis horis rite, mo-

derateque pulsentur. Incumbat quoque, ut nitida, et splendida sint omnia in sacrario, et suo quaeque loco in armariis sacrae vestes dispertiantur; ut sacra vasa nonnisi a sacris manibus pertractentur; demum ut ne plures simul ad celebrandum prodeant Sacerdotes, nec a pluribus, quam duobus eodem tempore sacra fiant.

XVI. Quicumque dignitatem, aut Canonicatum, vel aliam praebendam obtinuerit, primi anni, quo cooptatus in Capitulum fuerit, partem tantum dimidiam tam praebendae, quam quotidianarum distributionum percipiat. Pars altera Sacrario cedat, et pro Ecclesia ipsa expendatur. Qui huiusmodi fructus, partemve eorum, absque nostra auctoritate, a deposito extraxerit, vel quocumque praetextu in alium usum, praeterquam Ecclesiae, expenderit, violati depositi poenas luet, praeter ceteras, quibus arbitratu nostro subiicietur.

XVII. Quum saepe praebendae ab uno in alium optione transferantur, ne ex crebra mutatione, bona confundantur, vel iura intereant, iubemus, singulas Canonicorum praebendas intra tricesimum diem tum in Cathedrali Ecclesia, tum in Collegiatis, propria Sancti alicuius adpellatione distingui, quam perpetuo retineant.

XVIII. Rei Capitularis curator singulis annis dati, et accepti rationes reddat intra mensem. Atque hae ubi fuerint discussae, in codicem referantur in Capitulari Archivio custodiendum.

CAPUT IV.

De Clericorum Seminario.

Quum primum ad Compsanae Ecclesiae gubernacula, Domino vocante, accessimus, nullam sane potiorem incumbere nobis sensimus curam, quam ut lecta iuventus, Ecclesiasticis castris mancipata, optimis moribus, et disciplinis informaretur. Quam ob rem in id enixe animum intendimus, ut rebus omnibus adcurate, minuteque rimatis, nihil quidquam Seminario vel ad pietatem fovendam, vel ad studiorum nutriendam alacritatem, vel ad virtutes quotidiano incremento augendas deesset. Atque Divino munere factum, ut qua vigili solicitudine, qua cohortationibus, et cunctando ferme, ita ex animo omnia evenerint, ut immutata prorsus Seminarii facies sit, et exspectationem nostram ipsa nostra abunde vicerit industria. Ut autem quae Deo propitio, composita, complanataque sunt, certo, ac stabili fundamento innitantur, visum est Nobis in Domino eadem nunc in sancta hac Synodo decernere, et sancire, quae in posterum perpetuo serventur.

I. Rector omnem vigilantiam, et diligentiam adhibeat, ut quae de communi vita, pietate, disciplina, ac moribus sunt praescripta, sarta tecta habeantur. Nihil vero alicuius ponderis suscipiat, neque ullum in Seminarium recipiat adolescen- De Rectore

tem, vel ex eo eiiciat, sine Archiepiscopi auctoritate.

II. Exterioris ostii clavis noctu semper penes se sit. Scholas identidem invisat, et quid in iis agatur, perquirat. Relaxationis tempore inexspectatus non raro cubicula penetret, ut quomodo se res habeant, suis ipse oculis inspectet.

III. Librorum, quos secum adferre necesse est, qui recens in Seminarium ingrediuntur, indiculus, ut sibi ab unoquoque exhibeatur, praemandet. Plerumque autem claves, quibus adolescentium armaria clauduntur, ex insperato sibi tradi iubeat, et arcessito Ministro, vel quolibet alio probiore viro, diligenter perscrutetur, an libros Seminarii lege vetitos, aut quidquam aliud contra institutum recondant.

IV. A personarum acceptionibus caveat, neque convictorem ullum sine gravissima necessitate in suum admittat cubiculum. Neminem quoque unum, quacumque de caussa, praeter eas, quae sunt a Nobis statutae, pedem e Seminario efferre sinat. Multo minus ad supplicationes, aliave munera in aliis Ecclesiis obeunda convictores mittere fas sibi ducat, nisi quando expresse mandarit Archiepiscopus.

V. Saepe praeceptores, et praefectos convocet, ut cuncta noscat, quae in Seminario aguntur, et de singulorum vivendi ratione, profectuque edoceatur. Saepenumero etiam a Ministro ratio-

nes, et expensas cognoscat, curetque, ut cibi bene olentes, ac probe cocti, et definita quantitate ministrentur. Nec vero cubitum eat, nisi exhibito sibi diario, sua manu, quae sunt per diem reapse ministrata, ante subscribat.

VI. Sedulo adtendat, ne statae exercitationes umquam intermittantur; ne quid sine consensu, et adprobatione sua fiat; neve quid committatur, quod ab Ecclesiastica disciplina, et institutione sit alienum, vel labem Seminario adspergere possit.

VII. Convocatis singula in Sabbata ad litanias convictoribus, paraenesim suam in sacello haudquaquam praetermittat. Bis insuper singulis mensibus feria quarta, paratis adolescentibus ad doctrinam Christianam in sacello ante coenam, a quibus malit, pensum exigat; et si qua magis enucleanda videantur, Theologorum aliquem interroget. Lectionis praeterea, quae in mensa habetur, persaepe rationem ab uno, aut altero excipiat.

VIII. Nullum abire diem patiatur, quin Archiepiscopum adeat, si quid illi pro re nata constituendum sit, intellecturus.

IX. Postremo, quas in subiectis requirit virtutes in se ipse exprimat, ut domesticum, quod imitentur, exemplum habeant adolescentes.

X. Si Rector aliis quandoque distineatur occupationibus, partem hanc gravissimae curae suscipiat Minister. Diu proinde domum circumire haud quiescat, et aliquando etiam noctu. Ostium De Ministro

sit ne bene ab ianitore clausum observet. Non patiatur, quempiam ex adolescentibus ad ianuam vel a consanguineis vocari, quum vel studio, vel scholis vacant, vel in Ecclesia versantur, nisi urgenti prorsus necessitate, atque annuente Rectore.

XI. Quum autem Ministro, sive Prorectori oeconomiae etiam cura, ex Compsani Seminarii constitutionibus incumbat, idcirco diligentiam omnem adhibeat, ut quae ad familiae victum sunt necessaria, opportuno tempore comparentur. Quapropter ante festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis indicem rerum omnium quotannis conficiat, Rectori adprobandum.

XII. Rationarium habeat, in quo pecunias omnes, quas recipit, vel solvit adposito die, mense, anno, tum et caussa, sedulo describat. Nemini autem pecuniam numeret sine Rectoris mandato, cui Vicarius generalis se subscribat, atque mandata huiusmodi omnia caute custodiat; nihil enim expensum illi referetur, nisi singula ista ratiocinatori exhibuerit.

XIII. Quotidianae dispensationis rationarium alterum singulis diebus sub noctem Rectori plane recognoscendum exhibeat.

XIV. Accepti, et expensi rationes e Seminarii reditibus, praestituto ante festum Nativitatis Beatae Virginis Mariae die, supputatoribus reddat, coram Archiepiscopo, vel, eo absente, coram Vicario generali, et deputatis. Quae quidem e ve-

stigio in rationario maximo authentice transcribantur, non sine rerum omnium domesticarum, supellectiliumque inventario.

De Praeceptoribus

XV. Praeceptores, signo dato, suae quisque scholae omnium primi adsint, discedant novissimi; curentque, ne adolescentum classis alia alii immisceatur.

XVI. Ab inferioribus ad superiores scholas nemo de iis unus sibi adsumat convictores transferre, nisi ingenio singulorum in fine anni scholastici probato, et nova Archiepiscopi iussu tabula in communi conventu publicata.

XVII. Nullum praeceptoribus ius sit convictores castigandi, nisi ob culpas scholasticas tantummodo. Si quis autem in rebus aliis, quae ad Seminarii disciplinam spectant, deliquerit, Rectorem monitum faciant.

XVIII. Auctores, quorum lectionem probamus, erunt Tullius Cicero, C. Caesar, C. Sallustius, T. Livius, Cornelius Nepos; ex poetis vero P. Virgilius, Ovidius de Tristibus, et de Ponto, Q. Horatius, et Catullus, sed hi castigati. Praecipimus vero, ut quibus latini auctores explanantur, Catechismi Romani pars aliqua praelegatur.

XIX. In explicandis rhetoricis praeceptis enitatur saepe numero praeceptor eadem ad Ecclesiasticae facultatis fines traducere, simulque aliquid ex Rhetorica Ecclesiastica Ludovici Granatensis delibandum discipulis tradat.

XX. Praeter privatas exercitationes, quae quotidie deesse non debent, passim intra annum in convictorum omnium conventu semipublicae habeantur; publica vero una saltem quolibet anno omnino non desideretur.

XXI. Tempus qui frustra terunt, et nihil, aut parum progredi in studio videntur, sive voluntatis vitio, sive ingenii tarditate, et crassitudine, opportune Archiepiscopo innotescat, ut mature de iis statuat quid sit agendum.

XXII. Philosophiae cursus triennio conficiatur, quo etiam Matheseos partes aliquae, Astronomia, et Computus Ecclesiasticus praelegantur. Pari temporis intervallo Theologiae dogmaticae cursus absolvatur. Etsi vero singulis hebdomadis in quaque facultate disputationes haberi ubique solent: ut tamen non perfunctorie, sed mature huiusmodi concertationes instituantur, duas saltem privatas singulis mensibus haberi iubemus, alteram in re Theologica, in Philosophica alteram, totidemque quotannis publicas.

XXIII. Aditus ad philosophiam pateat nemini volumus, nisi per triennium Theologiae studiis navare poterit operam.

XXIV. Omnem familiaritatem cum discipulis vitent. Si quos autem necessario adloquuturi sint, eos numquam in cubiculum suum admittant, sed in recreatione, ceteris inspectantibus, adloquantur. In scholis curent, ut omnes locis adsignatis se contineant.

XXV. Politiorum litterarum studio, in quo totius litteraturae positum est fundamentum, Graeci sermonis praecepta, et institutiones addantur, tum et Hebraicae linguae. Tyronibus, qui graece instituuntur, Novum Testamentum graecum explicandum tradat praeceptor; provectioribus vero selectas sancti Ioannis Chrysostomi orationes, tum et Demosthenem, et Homerum.

XXVI. Totis denique viribus usquequaque contendant, ut nihil quidquam prorsus adolescentibus desit, quod eorum in humanioribus litteris, severisque disciplinis progressum possit adiuvare. Quamobrem crebro ingeniorum experimenta habeantur, et repetitiones, et conlationes; persaepe aliquid etiam vel soluta, vel ligata oratione ab iis exigatur, qui Philosophiae, aut Theologiae operam navant.

XXVII. Praefecti a Classis suae adolescentibus numquam se se dimoveant. Mane primi surgant, vespere postremi cubent, clavemque cubiculi apud se habeant. Caveant, ne quem privato studio prosequantur. Saepe revisant in locis suis adolescentes, an statis horis lectioni, et studio vacent. Nemini ad alterius locum eundi veniam dent, nisi caussa probata. A coetu aliorum, recreationis tempore quemquam secedere, et alio abire non sinant, nisi naturali necessitate tantum. De Praefectis

XXVIII. Qui litteras, tametsi nihil mali redolentes, sibi legendas non tradiderit, Rectori

deferant ; eas si interceperint, eidem exhibeant. Cunctos vero, et cuncta circumspiciant, videantque, ne super lectos, vestes, libri, aut alia quaelibet ponantur, neve quis tabulas incidere, vel parietes deturpare audeat.

XXIX. Si quos officio suo deesse compererint, vel paullo immodestius se habere, vel ad res communes cum ceteris non convenire, vel mutua familiaritate uti, vel dissentiunculas fovere, candide, et sine fuco Rectori significent.

XXX. Notent item singulis diebus festis, qui eo die Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, indicemque Rectori exhibeant.

XXXI. Praefecti temporanei, qui, absentibus ordinariis Praefectis, disciplinae custodiendae addicuntur, si quos abusus in eam classem irrepsisse contra statuta deprehenderint, e vestigio Rectorem moneant, ne, dum aliis indulgent, ipsi poenas luant.

De Convictoribus

XXXII. Sine expressa Archiepiscopi licentia nec Rector, nec Prorector, neque Praeceptores, neque Praefecti Convictorum audiant confessiones.

XXXIII. Non liceat contubernalibus seorsum ab aliis inter se colloqui, aut esse, nisi tres saltem, aut quatuor sint. Ad ostium nemo accedat, aut ad alienum cubiculum, inscio, aut renuente Rectore.

XXXIV. In incessu sive domi, sive foris singularem modestiam praeseferant, neque elata voce

colloquantur. Foris non alia loca petant, nisi ad quae proficiscendi facta iisdem fuerit potestas. Domum autem omnino se recipiant, antequam Angelicae salutationis signum detur.

XXXV. Qui se a conveniendo ad res communes abstineant, in Ecclesiam, caenaculum, scholas, recreationis circulum, atque id genus alia; qui in cubiculo de sua statione discedat, vel praescriptum sibi locum relaxationis tempore mutet; qui secus ac familiae nomine quemquam adpellet; qui contemptibile vocabulum adpingere cuiquam audeat; qui vel studii, vel silentii tempore alios dicto, factove perturbet; qui promptuarium, coquinam vel coenaculum, nisi prandendi, coenandive tempore ingrediatur; qui cum aliis alienae classis colloqui deprehendatur; qui sive ioco, sive quovis praetextu alium tangere praesumat, sine indulgentia, publica, ac severissima poena adficiatur.

XXXVI. Qui in Seminarium admitti optabunt, mense saltem, vel ante Dominicam Resurrectionem, vel ante Nativitatem Beatae Mariae Virginis, postulatum Archiepiscopo deferant.

XXXVII. Nemo in Seminarium recipiatur, qui Philosophiae, et Theologiae studia non possit percommode perficere, nisi iusta de caussa secus Archiepiscopo videbitur.

XXXVIII. Quibus admissionis factá est copia, omnia sibi comparent ad tabellae praescriptum, quae iussu nostro separatim est ante hos annos typis consignata.

*

De Cubiculis XXXIX. Cubicula nonnisi ratione aetatis convictorum partiantur. Serio adtendat Rector, ne parvuli grandaevis misceantur, quacumque prorsus sive consanguinitatis, sive patriae seclusa exceptione.

XL. In singulis cubiculis hebdomadarius constituatur, cuius partes erunt ianuam claudere, quoties pedem inde efferunt convictores; curare ut quotocumque die sordes everrantur; lumina, ubi opus, accendere; igniarium apud se habere, ut illico ignem silice, si forte noctu lampas extinguatur, excudat; ac demum aegrotis praesto esse.

De Victu XLI. Lectio in mensa tum prima, tum secunda perpetuo adhibeatur, nec Rectori, quavis caussa, licet hanc legem solvere.

XLII. Unus idemque omnibus, qui in Seminario degunt, panis conficiatur. De eo singulis vicibus octo unciae singulis convictoribus praebeantur, neque de eo cuiquam secum a mensa adsportare liceat. Quod si panem extra mensam quis postulet, voluntati Rectoris remittimus.

XLIII. Idem pariter victus omnibus, nullo discrimine habito, paretur, quo contenti eo magis erunt Rector, Prorector, ac Praeceptores, quo liberalius cum iis actum volumus, ut ferculum unum insuper praeter communem victum iis adponatur.

XLIV. Inferiori familia excepta, cuncti in triclinium ad cibum capiendum, vel in prima, vel in secunda mensa, conveniant.

XLV. Severae educationis locus, et ratio iubet, omnes de quocumque cibo capere. Ministro itaque inhibemus, ne cui ferculum pro ferculo, vel aliud pro alio indulgeat, quod non sit omnibus commune. Vigilantiam autem omnem adhibeat, ne in cibariis vel par condimentum, vel praescripta quantitas desideretur.

XLVI. Hora duodecima surgendi signum detur, atque semihora rebus componendis, semihora orationi mentali impendatur. De Horario

XLVII. Studio hora decima tertia operam navent. Missa mox audita, persolutoque Beatae Mariae Virginis officio, scholas ingrediantur. Inde hora decima septima egressi cubicula repetant, et doctrinae Christianae pensum per horae quadrantem conficiant. Post haec ad prandium conveniant, et hora interposita, studium resumant.

XLVIII. Hora decima nona rursus per horas duas et scholae; postea ferientur, ac ultimo ante Angelicam salutationem quadrante Rosarias preces, litaniasque lauretanas demissis genibus recitent.

XLIX. Hora vicesima quarta, studio, duarum horarum spatio, vacent. Ad coenam deinc properent, et animorum relaxationi hora tribuatur. Mox, conscientia per quadrantem discussa, in lectum se recipiant.

L. Eadem prorsus ratio aestate habeatur. Mane tamen surgendi signum hora octava dabitur; relaxationi post prandium quies per alteram horam

succedet; studio ad lucernas nullo, post salutationem Angelicam ibunt coenatum.

LI. Horarii tabella peculiaris, iussu nostro typis edita, qua horarum differentiae omnes enucliatius, ad huiusce sanctionis praescriptum, sunt denotatae, publice prostet.

De Piis Exercitationibus

LII. Pridie Kalendas Decembres quotannis per octiduum domi se contineant, exercitationibusque spiritualibus unice vacent.

LIII. Vespere ante primam cuiusque mensis Dominicam diem, et praecipuas anni festivitates, a studio liberi, sacrae lectioni, sermoni, et sacramentali confessioni se devoveant, ut caelesti mensa sequenti mane reficiantur.

LIV. Qui minoribus sunt initiati Ordinibus decimo quinto quoque die: qui vero Sacris semel saltem in hebdomada, praevia admissorum confessione, sacram sumant synaxim. Qui communicare noluerint, non compellantur, adnotentur tamen a praefectis.

LV. Prima Decembris hebdomada in communi conventu legatur convictorum tabula, qui tum ad sermonem in cuiusque Dominicae Evangelium, tum ad orationem in singulas Beatae Virginis Mariae festivitates, sunt adsignati. Tabula fixa, immotaque remaneat sacrario.

De Deposito, et Tabulario

LVI. Capsa depositi pecuniarum in cubiculo Rectoris adservetur tribus clavibus diverso opere fabrili obserata, quarum altera, cui Archiepisco-

pus mavult, tradatur, alteram Deputatus, tertiam Rector habeat.

LVII. In ea rationarium recondi iubemus, in quo summae omnes describantur singulis vicibus, quibus reponuntur, tum et scripturam, qua singillatim proventus caussa exprimatur.

LVIII. Nullatenus eam aperire cuivis fas sit, nisi Archiepiscopo praesente, et duobus Deputatis. Quod si Archiepiscopus absit, ex speciali delegatione Vicarius generalis, vel alter, qui pro re nata opportunior Archiepiscopo videbitur, intersit.

LIX. Pecuniae semestres, quae intra annum recipiuntur, altera capsa adserventur, cum rationario item, in quo singulae adnotatae sint perceptiones. Istius clavem alteram Rector custodiat, alteram Minister. Atque ex ea identidem extrahi per nos licet, quidquid necessum esse videbitur Rectori; deposita intus tamen accepti charta cum die, mense, anno, et accipientis subscriptione.

LX. Tabularium item, quo acta omnia una adservari iubemus, tum et locationum, renovationumque instrumenta, plateas quoque, ac processus in iudicio confectos, cum inventario absolutissimo, duabus clavibus instructum volumus, alterutra apud Archiepiscopum erit.

LXI. Kalendis cuiusque mensis, mane post divina, peculiaris congregatio in aedibus Archiepiscopalibus habeatur, in qua de omnibus consultetur. De Congregationibus

LXII. Bis quolibet anno congregatio generalis

convocetur, in qua deputati ex Dec. Conc. Tridentini intersint, sive pro moribus, si quo modo quae agenda sunt ad mores, et disciplinam pertinent; sive pro rebus temporalibus, ubi de temporali administratione erit deliberandum.

De Familia inferiori

LXIII. Quotidie mane ad Missam conveniant; diebus vero festis post prandium ad doctrinam Christianam.

LXIV. Sabbato ante primam cuiusque mensis dominicam diem peccata sua confiteantur, ut sacrosanctum Christi Domini corpus sumant. Confessionis vero chirographum Rectori exhibeant.

LXV. Decoro, ac modesto vestitu utantur. Familiaritatem cum alumnis non ineant omnino, nec iis aliquid quovis praetextu subministrent, vel ab iis accipiant.

LXVI. Domo non exeant sine Rectoris, vel eo absente, Ministri facultate, nihilque Rectore inscio secum vel exeuntes adsportent, vel revertentes in Seminarium importent.

LXVII. Atque haec, quae pro bono iuventutis Compsanae, et Campaniensis Ecclesiae statuere censuimus, continuo servari iubemus; confirmantes universa, ac singula, quae sunt a Nobis in sanctis visitationibus passim praescripta, tum et peculiares tabulas, novissime recognitas, et separatim editas.

CAPUT V.

De Parochis.

Qui ad Dominici gregis pascendi curam, in solicitudinis nostrae partem sunt vocati, in omnibus se ipsos praebeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Vere enim ille virtutis auctor efficax, vitiorumque strenuus insectator erit Parochus, cuius nec vita a verbis, nec mores a doctrina, nec animus ab ingenio dissentit. Etsi vero multa passim pro re nata a Nobis tota hac Synodo sint tradita, quibus Parochos, animarumque curatores pro officii sui munere devinctos voluimus, tamen ne quas paternae charitatis nostrae partes, hac in re potissimum, praetermittere videamur, nonnulla singillatim heic attingere e re censemus, in quibus maxime eorum impendenda est vigilantia.

I. Animarum curam non per alios, ad quos de ovibus non pertinet, sed per seipsos administrent, nec ea, quae obire ipsi possunt, officii munera in adiutorem reiiciant (1). Gregem non deserant mercenariorum more, et si quando iusta intercidat discedendi caussa, nonnisi impetrata a Nobis facultate e loco moveantur. Quod si etiam uno tantum die abesse opus erit, idoneo Sacer-

(1) Conc. Trid. Sess. vi. *de Reform.* cap. i.

doti plebem suam commendatam relinquant, ne desideretur qui Sacramenta administret, aliasque pastoris partes digne, adcurateque impleat. Si quis secus fecerit, poenis, quae sunt a Tridentina Synodo statutae, obnoxius erit (1). Quod et de aliis beneficiariis, quibus residentiae onus incumbit, sancitum volumus (2).

II. Dominicis, festisque diebus solemne Sacrum ea hora peragant, quae commodior, opportuniorque convocandis Fidelibus erit; nec praetermittant populum lustrali aqua iuxta ritum Ecclesiae adspergere. Inter Missarum vero solemnia Sacrum Evangelium populo explicent, et desumpto hinc exhortationis argumento, eumdem ad Christianae vitae institutum, et ad morum disciplinam excitare conentur. Quod si legitime impediantur, quominus salutare verbi pabulum populo sibi commisso per se ministrent, Sacerdotem idoneum adhibeant, Nobis probatum, cuius opera, ministeriove utantur, ne quantivis momenti officium ullo pacto intermittatur.

III. Post meridiem pueris doctrinae Christianae initia tradant, quum hoc alterum sit non minus fortasse utile praedicandi genus. Hos enim in Christi schola erudire, instituere, et quae ad aeternam salutem adsequendam credenda, speranda,

(1) Conc. Trid. Sess. xxii. Cap. 1.
(2) Conc. Trid. Sess. vi. cap. ii. Vid. supr. Part. iv. cap. 1.

diligenda, agendaque sunt, mature imbuere, rei Christianae publicae plurimi refert, quo cum ipsa aetate etiam religio, ac pietas, et religionis, ac pietatis disciplina in iis adolescat. Neque se suo satis putent fecisse muneri, si a Sacerdotibus, et Clericis id praestari viderint, nisi ipsi etiam quantum licuerit, ei negotio operam impendant, ac praecipue in pueris sedulo per Paroeciae vicos, et plateas conquirendis, et in Ecclesiam perducendis. Doctrinae schola absoluta, vesperarum Officium in suis quisque Ecclesiis concinat, una cum Sacerdotibus omnibus, et minorum ordinum Clericis.

IV. Mox suam Catechesim interponant, et Fideles urgere non desinant, ut Ecclesias crebro, pieque adeant; Sanctissima poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta frequentent, festos dies colant, ieiunia ex Ecclesiae instituto custodiant, parentibus obediant, Sacerdotes revereantur, et maxime praepositos. Assiduisque monitionibus agere studeant, ut omnes a peccato deterreantur, et a saeculi illecebris, atque ab operibus carnis, quae sunt fornicationes, adulteria, usurae, irae, invidiae, rixae, contentiones, aemulationes, abducantur. Praecipue vero, quae uniuscuiusque status, quae omnium aetatum, atque ordinum sint partes, sedulo explicent, ut omnibus, quae sua interierint, praestantibus, Christiana Lex in omnibus adimpleatur.

*

V. Doceant porro identidem qua ratione festos dies oporteat sanctificari; ostendantque, quam indignum sit sacro illo tempore ad otium, ad ludos, ad voluptates abuti, quod pietati, ac religioni dicatum est; nec satis esse a servilibus negotiis cessare, nisi etiam religionis, ac pietatis opera exerceantur. Ieiuniorum quoque tempora non denuncient solum populo, sed qua ratione ieiunium vere colatur, disserant. Celebrioribus vero festis revertentibus, summam diligentiam, studiumque adhibeant in Mysteriis, quorum solemnis agitur memoria, declarandis; et neque tunc tantum, sed per eos, qui proxime praecedunt, dies, excitare, atque incendere Fidelium animos satagant, cum ad ea rite recolenda, tum maxime ad Poenitentiae Sacramentum, et ad SS. Eucharistiam suscipiendam. Pari modo quum statis temporibus sunt cerea benedicenda, vel sacri cineres, aut olivarum palmae, ac etiam quum Rogationes, Litaniaeque maiores recurrunt, opportune Fidelibus exponant, cuius rei gratia singuli isti ritus ab Ecclesia fuerint instituti, quo animi sensu, adfectuque sint obeundi, et quo modo fructus ex ipsis digne percipi possit.

VI. De Orationis etiam necessitate saepe fidelem populum moneant, doceantque, non labiis tantum, sed mente potissimum, intimoque cordis adfectu coli Deum, atque exorari. Quocirca omnes in Domino incitent, ut ad Orationem mentalem,

quae per festos dies primo mane in Ecclesia maiori habetur, alacri animo conveniant. Tum et Sacerdotibus calcaria addant, ut si quis se ab pia hac exercitatione, quam haberi per orbem mandavimus, subducere audeat, sciat se suspensionis poenam profecto non evasurum.

VII. Praeterea omnem industriam, et solicitudinem adhibeant, ut ex quorumdam animis miserandam illam, atque exitiabilem in Christianae disciplinae, et salutis suae studio negligentiam excutiant, qui ne ea quidem scire, tenereque curant, quae ignorare, salva Religione, non possunt. Quamobrem omni conatu efficiant, ut quod iamdiu sub poena suspensionis a divinis, mandatum est a Nobis, sancte exsequatur. Nimirum, ut in Dominicis, festisque diebus in Ecclesiis omnibus, et Sacellis, et Oratoriis etiam campestribus, Sacerdos, qui Sacris operatur, disertis, explicatisque verbis, et voce sublata tabellam rudimentorum Fidei, nostra auctoritate editam, recitet, ut, qui adsunt, singula secum repetant verba. Tum ipse Parochus severe agat, ne cuius confessio audiatur, neve quis matrimonio coniungatur, nisi prima Fidei rudimenta probe callere compertus fuerit.

VIII. Quod autem agere in gregibus suis pastores solent, ut singulas pene oves, earumque integritatem, vires, valetudinem inspiciant, quo possint aegrotas sanare, errantes reducere, perditas conquirere, idem profecto studium ab ani-

marum Curatoribus in Christiano pascendo grege est adhibendum. Hinc semel saltem in hebdomada omnes Paroeciae suae vicos, atque etiam domos, ubi opus, obeant, perlustrent, invisant, et si quae dissidiae, contentiones, inimicitiae, ac praesertim inter domesticos intercedere cognoverint, omni ratione, ac studio, simul ac exoriuntur, ne diuturniores fiant, componere, et sedare studeant. Tum vero omnes populi necessitates, cum spirituales, tum temporales investigare adnitantur, quo remedia, quae ipsi potius poterint opportuna, sollerti adhibeant charitate. Aegrotos potissimum adire frequenter meminerint, ac maxime ubi eorum audierint confessiones, tum ut piis cohortationibus saepe illos solentur, atque ad morbi vim aequo animo sustinendam cohortentur, vel ut eorum necessitatibus, si forte egeant, vel ipsi subveniant, vel ab aliis subveniri curent; tum etiam ut ne ullum ex Paroecia sua sine Viatico, atque extremae unctionis Sacramento, sua ipsius culpa, vel negligentia, decedere contingat.

IX. Traditum gregem veluti depositum sancte custodiant, ut Deo reposcente integrum reddant. Quare videant studiose, adcurateque, an sint qui singulis annis saltem semel, ut ab Ecclesia praeceptum est, Sacra se Confessione, et Communione expiare, et procurare negligant; an qui festis diebus interesse Sacris pari contumacia contemnant; an pastores, armentarii, bubulci, ac re-

liqui omnes iumentorum, pecudumve, ac agrorum, vinearumque custodes Missas diebus festis audire omittant.

X. Pari anxietate pervestigare, et cognoscere studeant, si qui forte in Paroeciis suis degant perditi homines, publici nimirum blasphemi, concubinarii, foeneratores, sortilegi, morum corruptores, festorum violatores, quos partim castigando, paterneque monendo, partim terrendo, ac periculum, iudiciumque denunciando, a flagitiis, sceleribusque revocare contendant. Quod si hisce modis parum se proficere intelligent, tunc eorum nomina ad Nos deferant, qui nihil intentatum relinquemus, quod a Nobis officii nostri ratio efflagitabit.

XI. Non minori sedulitate perscrutentur, an intra suae curae regionem ulli sint, qui incredulitatis semina in agro Fidelium iacere studeant; qui libros importent, legant, serventque, vel catholicae Fidei rationi, vel morum disciplinae adversantes; qui magicis artibus vacent, vel in campestribus festis praesertim, sanctam Religionem insanis superstitionibus, vanoque cultu depravant, contaminantque. Quos omnes, ut compererit Parochus, ad Nos deferat, ut severitate poenae, iusta in eos exempla statuamus.

XII. Parochiales codices, sive antiquos, sive recentes, baptizatorum scilicet, confirmatorum, matrimonia contrahentium, mortuorum, et cen-

sus animarum diligenter custodiant. Videant porro, ne quid in adnotationibus exarandis varietur, sed unius modi formula teneatur, latine quidem, et litteris explicatis, ac prorsus omnino ad Ritualis Romani praescriptum; nec quidquam in iis umquam immutent, sine Nostra, aut Vicarii Generalis nostri scripta facultate. Libros autem hos omnes, tum inventaria publica, instrumenta, chirographa, ac documenta, quae ad Ecclesiae bona, iura, privilegia, concessiones, reditus, onera, et satisfactiones quoquo modo pertinent, et authenticae insuper sacrarum Reliquiarum testificationes, indulgentiarum diplomata, et visitationum decreta adservari adcuratissime studeant in Paroeciae tabulario, quod sit sera, et clavi munitum, atque huic usui dumtaxat adsignatum. Quae quidem monumenta, ne distrahantur, ac pereant, edicimus, ut sublato e vivis Parocho, statim Oeconomo, ad curam animarum delegato, sub poena excommunicationis, spatio unius mensis tradantur, non sine novo inventario.

XIII. Meminerint Parochi, ac Oeconomi, quibus vacantium Paroeciarum demandata est cura, singulis Dominicis, festisque diebus, Sacrificium pro populo sibi esse absque ullo emolumento offerendum (1); nec sibi licere alibi, quam in

(1) *Quum praecepto divino iis, quibus animarum commissa est cura, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, saepe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos te-*

propria parochiali Ecclesia iisdem diebus rem Divinam facere, quacumque licet consuetudine adversante (1).

XIV. Demum bimestre spatium dilabi non patiantur, quin Nobiscum ea omnia communicent, quae peculiari edicto sunt imperata (2).

CAPUT VI.

De Vicariis Foraneis.

Quando Nobis ubique adesse, et propriis oculis adspicere, et lustrare omnia non datur, ea ab eorum industria, ac religione, quos Vicarios Foraneos ubique locorum constituimus, inspici, pervestigari, et cognosci iubemus.

I. Videant igitur, et serio animadvertant, quid sit, quod nostram cognitionem, operam, et auctoritatem desideret, et quid corrigi, emendarique necesse sit. In primis, an Parochi resideant, et si quemquam discedere contingat, an permittenti-

nere pro parochianis Sacrificium adplicare, atque ea cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, et dioecesis. Hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo pastorali zelo compellere non gravetur. S. Congr. Conc. 10. Maii 1681. Vid. Constitut. Benedicti XIV. *Cum semper* 14. Aug. 1744.

(1) S. Carol. Concil. Mediol. IV. Part. 1. Tit. *de Cler. ad Fest.* Sacr. Congr. Conc. 15. Sept. et 17 Nov. 1619.

(2) Edict. die x. Ianuar. MDCCCXX. confirm. die XIV. Nov. MDCCCXXXV.

bus Nobis discesserit, et idoneo Sacerdoti a Nobis probato Ecclesiam reliquerit commendatam; an forma facti gregis ex animo Christianae virtutis tramitem, optimis vitae exemplis, omnibus commostrent; an Sacramenta rite, et adcurate Fidelibus administrent; an verbi Dei praedicationi insistant; an catechismum diebus festis habeant; an conlationibus moralium quaestionum in singulas hebdomadas cum Clero intersint; an pacis amatores sint; an irrepentibus vitiis, et scandalis opportuna remedia opponant; an decorem domus Dei, altarium, et totius sacrae supellectilis munditiem, ac nitorem diligant, impenseque promoveant.

II. In explorando praeterea excubent continuo, an Sacerdotes, et Clerici omnes suas in divinis Officiis impleant partes; an ad Ecclesiasticae disciplinae leges vitam suam componant, et omnia, quae sive in Synodo, sive in Sancta Visitatione decreta, statutaque sunt, fideliter exequantur. Potissimum si in talari veste nigri coloris undique clausa incedant, tonsuramque deferant patentem; si quoties in Ecclesia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in altari adorandum Fidelibus publice exponitur, adsint, et suam exhibeant operam; an pari studio singulis Dominicis ad Christianae doctrinae semina puerorum animis inserenda concurrant; et si Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta frequentent. Demum an cum armis incedant, vel ludis, aut scurrilitatibus va-

cent. Quorum omnium si quid Nobis aliunde innotuerit, poenam Vicarii Foranei ipsi dabunt.

III. Observent etiam, prospiciantque, ne Dominicis, festisque diebus in maiori Ecclesia oratio mentalis ad populum intermittatur, quotidie vero Adventus, et Quadragesimae tempore; ne quoties audiendae Missae praeceptum instat, Sacerdos in prima, et postrema missa maioris Ecclesiae, quum frequentior erit populus, tum qui Sacrificio operantur in Sacellis, et Oratoriis etiam campestribus tabellam rudimentorum Fidei recitare recusent. Quae omnia praestentur nec ne, singulis bimestribus omnino ad nos deferant.

IV. Ecclesias porro omnes, et Sacella saepe invisant, inspectentque num cuncta recte se habeant; num lampas diu, noctuque ante SS. Sacramentum ardeat, num tabella onerum Missarum in quoque Sacrario palam prostet; et Missae an adimpleantur, et ipsius celebrantis manu in libro signentur.

V. Sciant autem, probeque intelligant, non alios eleemosynarum quaestores esse admittendos, quam qui stipes pro iis Ecclesiis, Oratoriisque corrogant, quae vel nihil, vel parum admodum habent, unde Divinus cultus in tuto sit, et integre tueatur. Quapropter, mendicantium familiarum Regularibus exceptis, foranei Vicarii curae erit, eos omnes arcere, qui absque nostra scripta facultate pro piis locis quibuscumque eleemo-

synas emendicant. Qui non paruerint profecto coercitionem non effugient.

VI. Ad haec vigilent, an Eremiticum habitum quis induat, vel Eremiticas cellulas incolat absque nostro scripto concessu; an qui huiusmodi facultatem a Nobis acceperint, festis diebus in Parochialem Ecclesiam conveniant, et semel saltem quoto mense Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta suscipiant; an feminas in sua tecta recipiant, vel criminosos homines; an frumentum, legumina, fruges, vel ruralia, aut fabrilia, aliave hoc genus instrumenta in sacellis inferri, servarique patiantur; an fines in accepta facultate praescriptos excedant, et errabundi hac illac vagentur; demum an indulgentias, aut oratiunculas, quae non fuerint a Nobis recognitae, atque adprobatae, distribuant.

VII. Quamobrem intra mensem ab Synodi huius promulgatione Eremicolas omnes percenseant, qui in sua *forania* sive intra moenia, sive forinsecus habitant, et ad Nos referant, quae cuiusque sit vita, mores, conditio, ut si quae nostra indigeant auctoritate, sine remedio non relinquantur.

VIII. Dierum festorum religio ut sancte custodiatur, modis omnibus efficiant, nec laborandi licentiam cui cuivis, nisi gravissima urgente necessitate, vel pietate suadente, concedant, et certis quidem conditionibus quoad tempus, modum et laborandi rationem, praeter quam si de publicis, et maioris momenti rebus agatur, in quibus no-

stra sit provocanda auctoritas. Saltationes, choreas, et huiusmodi corruptelas omnino inhibeant. Histriones, circulatores, nugatoresque quidquam agere, aut vendere festis diebus, propositis in hac Synodo poenis, deterreant, eliminentque.

IX. Quoad mercedis pretia, et emolumenta, quae pro impensa opera in rebus praesertim matrimonialibus, Vicariis Foraneis debentur, caveant, ne quid exigant ultra aestimationem a praedecessore nostro Alphonso Cardinali Gesualdo Archiepiscopo Compsano statutam.

CAPUT VII.

De Regularibus.

Regulares, quo arctiori religionis, et charitatis vinculo obstringuntur, eo intentius, quantum eorum patitur institutum, se, suasque vires in dominico agro excolendo impendant, et tum morum, et vitae integritate, ac sincerae pietatis opinione, tum adsiduis laboribus opem omnem, operamque Nobis in Dei cultu augendo, et animarum salute procuranda alacri animo exhibeant.

I. Nova Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes tam virorum, quam mulierum in nostra Dioecesi construere nemini liceat, nisi impetrata a Nobis scripta facultate, et omnibus servatis, quae sacro iure, et Regni legibus requiruntur.

II. In parvis conventibus, nisi sex saltem Religiosi probatae vitae reipsa, et permanenter alantur, ex quibus quatuor sint Sacerdotes maturae aetatis, ex Innocentii X. Decreto, correctioni, visitationi, et omnimodae potestati nostrae subiaceant, etiam in iis quae ad regularem disciplinam pertinent (1).

III. Quicumque extra monasterium sine scripta facultate vagatur, tamquam suae regulae desertor, a Nobis, punietur, etiam si eo se nomine excuset, quod ad Superiorem suum accedere velit, nisi ab eodem mittatur, vel evocetur, cuius rei in facultate speciatim, nominatimque mentio fiat.

IV. Extra claustra degentes nullius privilegii praetextu se tutos existiment, quominus si deliquerint, a Nobis ex Canonum sanctionibus iudicentur, et puniantur. Qui vero in claustris degentes quid extra illa cum scandalo patraverint, ab eorum Superioribus intra definitum a Nobis tempus, pro modo, et gravitate delicti coerceantur; et nisi Superiores ipsi de irrogata poena Nos faciant certiores, ipsi Nos delicta ulciscemur (2).

V. Si quis Sacramenta ministrare, benedicere,

---

(1) S. Congr. iussu Urbani VIII. 21. Iulii 1625. Innocentius X. Const. 32. *Ut in parvis* 10. Februar. 1654. Declarat. S. C. sub Alex. VII. die 27. Iul. 1655. Tom. VI. Bullar.

(2) Innocentius IV. in Cap. *Volentes de privil.* in 6. Conc. Trid. Sess. VI. cap. III. *de Reform.* et XXV. de Regular. cap. XIV. Clemens VIII. Const. XXXIX. *Suscepti muneris.*

vel huiusmodi Ecclesiastica munia, quae ad Parochi officium pertinent, peragere praesumpserit, potestate Nobis facta per Sacros canones, Summorum Pontificum constitutiones, et Sacrae Congregationis decreta, poenis, et censuris subiacebit. Pari modo si exorcimis ad abigendos, expellendosque ab humanis corporibus nefarios spiritus, absque nostra facultate, quis operam praestiterit, suspensione ipso facto ab audiendis confessionibus plectetur, aliisque gravissimis poenis nostro arbitratu (1).

VI. Quaecumque a Nobis superius de Sacramento Poenitentiae, de verbi Dei praedicatione, de publicis supplicationibus, et de Ecclesiarum cultu, ornatuque sunt sancita, diligentissime servent, ac in his praeterea suam Nobis probent observantiam, ut censuras, atque interdicta, quae a Nobis edita fuerint, omnino in suis Ecclesiis evulgent, adfigant, observent, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari curent, ut est Tridentini Concilii auctoritate statutum; ut Sacrum infirmorum Oleum non aliunde, quam a Nostra Cathedrali Ecclesia petant; ut in Sabbato Sancto, nisi edito signo a Cathedrali Ecclesia in Civitate, et a Parochiali in Dioecesi, a campanis pulsandis prorsus abstineant, sub interdicti poena, et mulcta per Leonem X. proposita; ut nisi praesente Pa-

(1) S. C. Epis. 22. Feb. 1625.

rocho, aut qui eius vices sustinet, cadavera non efferant, nec suetas praecinant precationes; ut in Sanctissimi Corporis Christi festo, cuius celebritas solis Ecclesiis maioribus eo competit die, solemnia, et processiones in suis Ecclesiis non obeant; ut neminem cuiusvis privilegii praetextu a casibus Nobis reservatis, nisi Iubilaei tempore, aut speciali a nobis indulta facultate, absolvant.

VII. Supplicationes, processionesque extra claustra neque Regulares, neque Phratriae, quae in Regularium Ecclesiis, vel aedibus sunt, obeant, quacumque licet intercedente consuetudine, ut a Sacra Rituum Congregatione est definitum (1).

VIII. Ad exequias vocati, etiamsi demortui corpus in eorum Ecclesiis sit sepeliendum, in Cathedralem Ecclesiam conveniant omnes, ut una cum Capitulo ad defuncti domum procedant; in pagis vero ad Ecclesiam Parochialem, in cuius regione iacet defunctus, ut una omnes cum Parocho ad domum luctus ordine pergant.

IX. Neminem eleemosynas per Ecclesiam quaeritare permittant; neque aliquem deambulare, aut altaribus haerere, vel quidquam aliud indecori, contra quam Pii V. constitutione sancitum est, committere patiantur, graviter alioquin a Nobis, ex eiusdem Pontificis constitutione, corripientur.

X. Caveant, ne intra suorum Coenobiorum,

(1) S. R. C. 19. Maii 1614. 2. Iulii 1620. 15. Dec. 1632.

aut etiam hospitiorum, domorumve, in quibus ipsi habitant, septa, feminas quovis modo recipiant, admittantve. Septorum autem finibus horti quoque, ac viridaria, et vineae concluduntur. Secus qui fecerint, excommunicationis noxam Pontificiis legibus statutam contrahent.

XI. Quum ad Ordines suscipiendos subditis suis facultatem impertiuntur, videant per viscera misericordiae Iesu Christi, ut prius adcurate, non de scientia tantum, (quam nos etiam mature, et gravi, ac diligenti instituto periculo experiri non praetermittemus) et de incorruptae vitae exemplo, sed de aetate etiam cognoscant, qua in re passim ab iis peccari compertum est, non sine magno Divini honoris contemptu [1].

XII. Regularium praepositi, qui mendicantes in hac nostra Dioecesi suas habent familias, territorii limites ad quaestum inter eas partiantur, ne ullus offensioni locus ex alterna invidia detur, cum detrimento pacis, et populi indignatione; curentque, ut quaeque suos non praetergrediatur fines.

XIII. Ad compescenda dissidia, quae saepenumero a nimia mendicantium regularium aviditate excitantur, qui a longinquioribus quoque Dioecesibus in hanc nostram confluunt, et ad populi querelas sistendas, qui huiusmodi quaestuosorum hominum, et multoties, quod magis est, eiusdem

(1) Vid. sup. Part. II. Cap. VIII. n. 8. et 9. huius Synod.

instituti, frequentia pene suffocati in convicia, et exprobrationes, non sine religiosi habitus dedecore, et ludibrio prorumpunt, districte praecipimus Parochis omnibus, et Vicariis Foraneis, ut praeter eleemosynarum quaestores pro Christianis, terrae sanctae loca incolentibus, non alios patiantur per nostram Dioecesim sive in pagis, sive in agris quaeritando circumvagare, nisi qui mansionem in hac ipsa nostra Dioecesi habeant. Quod si contra fecisse aliquem compererint, auctoritate etiam saeculari, si opus esse videbitur, interposita, eleemosynae, quas ipsi collegerint, in eorum Conventuum, qui in Dioecesi sunt, vertantur utilitatem.

XIV. Ex Iudicibus Synodalibus, in hoc Sacro Consessu renuntiatis, unum quemlibet sibi Regulares deligant Conservatorem, electionisque documentum intra duos menses a die evulgationis huius Synodi Cancellario nostrae Archiepiscopalis Curiae exhibeant, ut in acta referatur. Alioquin noverint coram Nobis, vel Vicario nostro se fore conveniendos (1).

XV. Expleto septennio nemini Religiosum cuiuscumque ordinis habitum voti, et devotionis obtentu induere liceat.

(1) Bonifacius VIII. Cap. *Statutum de Rescriptis* in 6. Conc. Trid. sess. xv. *de Reform.* cap. 10. Benedictus XIV. Constitut. *Quamvis Pater*. die 26. Aug. 1741.

CAPUT VIII.

De Monialibus.

Quae virginitatem suam Deo dedicarunt, initumque foedus aeterno Sacramento sanxerunt, quo felicius ex saeculi fluctibus, et periculis, singularissimo Divinae Gratiae munere emerserunt, eo alacrius, sanctiusque Christo Domino sponso inhaereant, inserviantque.

I. Orationi vacent, ut cui fidem obstrinxerunt, cum eo adsidue versentur; nec porro communi tantum, sed privatae etiam, ut in solitudine, et silentio numquam oculos a dilecto divertant.

II. Chorum omnes frequentent, et nulla prorsus a divinis Officiis ex instituti praescripto recitandis excusetur, nisi cui ex necessaria caussa Praefecta indulserit. In illis autem obeundis quod ore proferunt, animo concipiant, et explicate, distincte, et suetis interpunctis verba omnia pronuncient, nec alterius instrumenti sonum adhibeant praeter organum intra septa. Singulis diebus Missae Sacrificio intersint. Nocte adventante non ante cubitum eant, nisi conscientia diligenter discussa, per veram contritionem ad Caelestis Sponsi amorem se se incendant.

III. Sanctissima Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta prima cuiusque mensis Dominica die, et celebrioribus praeterea Christi Domini, et Bea-

tissimae Virginis Matris Dei solemnitatibus percipiant. Semel saltem quolibet anno in spiritualia exercitia per decem continuos dies incumbant, uti est Pontificiis sanctionibus statutum (1).

IV. Ut Divinum Agnum sequi mereantur quocumque ierit, omnem vanitatis effugiant speciem, et eo interius, exteriusque honestatis, simplicitatis, et modestiae habitu inveniantur, quem vere Christi sponsas decet.

V. Ad habitus adsumptionem, ac multo magis ad solemnem professionem non admittantur Novitiae, nisi Spiritualibus item praemissis exercitationibus, ut orationi, Caelestiumque contemplationi intentae novae ineundae vitae rationem serio cogitent, et consulto capessant (2).

VI. Novitiae, et Educandae loca habeant segregata, neque iis umquam liceat in Monialium conclavibus habitare. Quod si vel necessitas, vel loci angustia aliud fortasse postulare videatur, nisi facultate a Nobis impetrata, id fieri prohibemus, poenis arbitratu nostro propositis. Puellae ante septennium claustra, educationis caussa non ingrediantur nisi impetrata facultate Sacrae Congregationis, et nostra (3). Praecipimus autem, ut muliebribus saeculi pompis, et omni vanitate pes-

---

(1) Litter. S. C. Episc. de mandato Innoc. XI. 9. Octob. 1682. Clemens XI. in Litter. Pastor. 16. Mart. 1703.

(2) Cit. Litt. Innoc. XI. et Clem. XI.

(3) S. Congr. Episc. 28. Mart. 1588. et 27. Maii 1603.

sumdata, omnino istae Monialibus ipsis in habitu conformentur.

VII. In Ecclesia sive ad crates, sive ad locum quemcumque, nemo, etiam cui facta cum Monialibus loquendi potestas fuerit, eas adloquatur sub poena excommunicationis latae sententiae. Sacristis vero, Clericis inservientibus, aedituisque tantum, ubi quid opus fuerit in Sacro ministerio, facultatem adloquendi concedimus in iis, quae muneris sui sunt.

VIII. Loculus ad Eucharistiam ministrandam nulli omnino usui inserviat, neque colloquendi, neque quidquam inducendi, extrahendique. Ostiolum clavi obseretur, nec nisi quum usus poscit aperiatur. Clavem Praefecta sedulo custodiat (1).

IX. Ad ianuas clausurae, cuicumque, et quacumque caussa cum Monialibus, ceterisque in monasterio degentibus adloqui, omnino vetamus.

X. Potestate licet a nobis facta, nemini fas sit, nisi in solis collocutorii cratibus cum Monialibus, vel quavis alia de monastica familia loqui. Excommunicationem vero nobis reservatam ipso facto incurrant, qui sine nostro, aut nostri Vicarii scripto concessu cum quacumque de degentibus in monasterio loqui audeant; exceptis coniunctis dumtaxat in primo, vel secundo consanguinitatis gradu, et primo tantum adfinitatis; declarantes prae-

(1) S. C. Episc. 15. Decemb. 1617.

terea, quod qui facultatem pro quadam tantum acceperit, nullatenus cum aliis data opera loqui possit.

XI. Crates collocutorii, quo tempore Oratio mentalis, vel divina Officia peraguntur, numquam pateant. Quin et horis pomeridianis a Kalendis Maii ad Kalendas usque Octobres, ita a meridie ad vesperas obserari iubemus, ut nemini nisi gravi urgente necessitate aperiantur. Sacri Adventus quoque, et Quadragesimae tempore, tum et aliis vel Ieiuniorum, vel Communionis diebus neminem item ad monasterii crates admitti sancimus.

XII. Praeter Confessarios, et Sacellanos a Nobis constitutos, Sacerdotiqus quibuscumbue sive saecularibus, sive regularibus prohibemus, ne rem Divinam in Monialium Ecclesiis faciant, nisi eius rei a Nobis facultatem impetraverint. Si quis decreto huic non paruerit, suspensionis censura a nobis adficietur, aliisque arbitratu nostro gravibus poenis erit obnoxius, quibus etiam Confessarios ordinarios obstrictos volumus, si cui celebrandi faciant copiam.

XIII. Quae educationis caussa in coenobio recipiuntur, semestre stipendium in numerata pecunia persolvant, ut sacro iure cautum; secus absque ulla declaratione dimittantur.

XIV. Vitam communem, Deo votis nostris favente, ante hos duos annos feliciter restitutam,

et Sanctorum Patrum Benedicti, et Bernardi praeceptionibus adeo commendatam, adprime observent.

XV. Confessarius Sacramenta, necessitate urgente, infirmis administraturus, monasterii septa non ingrediatur, nisi duabus senioribus monialibus comitantibus, et campanulae signo dato, quo aliae secedere iubeantur. Recta infirmam adeat, nec ad alia clausurae loca divertat. Confessiones apertis ianuis excipiat, foris consistentibus quae illi aderant, ut adspici quidem, non audiri possit. Qui contra fecerit, ab officio sit ipso facto suspensus (1). Noverint praeterea Confessarii extraordinarii, se numquam posse septa penetrare, sive ad Sacramenta ministranda, sive ad opem in extremo agone conflictantibus ferendam, nisi speciali facultate a Nobis, vel a nostro Vicario impetrata.

XVI. Quo tempore extraordinarius Confessarius monialibus conceditur, nullum illi impedimentum adferat ordinarius, et omnino se ab excipiendis sive monialium, sive puellarum, quae in monasterio educantur, confessionibus abstineat. Universim vero Confessarios, sive ordinarios, sive extraordinarios, iubemus nullibi, sive ad crates, sive ad collocutoria, sive ad rotas confessiones monialium excipere, nisi in sede tantum confessionali.

XVII. Confessariis omnibus, et singulis in Domino praecipimus, ac mandamus, ut nihil

(1) Litt. Circ. S. C. Episc. de mand. Innoc. XI. 21. Mart. 1682.

omnino a singulari moniali aliqua, sive quavis alia de familia monasterii, vel muneris, vel alio quocumque titulo accipiant. Secus ab audiendis confessionibus arcebuntur, et accessu ad monasteria in perpetuum interdicentur. Quod idem a sacristis, clericis, aut quibusvis aliis cautum volumus.

XVIII. Operarii, ac ministri, quibus necessitate item postulante, clausuram ingredi concessum erit, non ante solis ortum ingrediantur, nec post eius occasum intra septa maneant, nec cibum in monasterio sumant. His autem, officii necessarii caussa ingredientibus, duae item seniores adstent, reliquis, quoad eius fieri potest, omnibus semotis. Qui secus fecerint, vel fieri permiserint, reos se esse noverint violatae clausurae.

XIX. Novi aditus, et novae fenestrae in clausurae parietibus, extra claustra prospectantes, ne fiant; nec novi collocutionis cancelli, neque ostia, aut rotae, nec aliud eiusmodi novum opus. Ut autem ex monasterio in vicinas domus prospectus omnino prohibemus, ita neque ex ipsis domibus in monasterium, maxime vero in monialium cubicula, ullum patere adspectum volumus.

XX. Omnibus, et quibuscumque in monasterio commorantibus expresse praecipimus, ne quovis praetextu, sive per ianuam, sive per rotas, parvulos sive mares, sive feminas, etiam septennio minores, intra clausuram admittant, sub poena violationis clausurae, et excommunicationis ipso

facto incurrendae, tametsi a rota non extrahantur.

XXI. Ianuae tum monasterii, tum Ecclesiae, uti et crates, etiam in festivitatibus claudantur ante diei horam vicesimam quartam, nec aperiantur ante ortum solis sub poena excommunicationis.

XXII. Qui aut cominus per verba, et actus inhonestos, vel eminus per litteras, aut internuncios eo devenerint temeritatis, ut de rebus non pudicis cum aliqua earum, quae intra monasterium degunt, egerint, noverint hi excommunicationis Nobis reservatae poenam ipso facto contraxisse. Qua illos etiam comprehensos declaramus, qui ad monasterii muros, vel in atrio turpia canant, vel proferant, ut a monialibus audiantur.

XXIII. Ne qua forte puella vel decepta, vel dolo capta, vel vi, minisque compulsa id vitae genus elegerit, Nos, ut ab ea sceleris immanitate omnes deterreantur, ex Concilii Tridentini decreto excommunicatos esse declaramus eos omnes, et singulos cuiusvis conditionis, sive clericos, sive laicos, qui puellam aliquam invitam monasterium ingredi, habitumque religionis sumere, aut profiteri compulerint, eiusve culpae participes consulendo, aut favendo, aut alio modo fuerint, aut scientes eam non sponte talia agere, eiusmodi rebus interfuerint, assensumve praestiterint.

XXIV. Demum Sacrae Congregationis iusso obsequentes vetamus, ad habitum religiosum mu-

lieres in privatis domibus degentes admitti absque scripta nostra facultate; quam neutiquam sperent accepturas, nisi ex eiusdem Congregationis praescripto Nobis probaverint, bonis, integrisque moribus esse, aetatemque quadraginta annorum exegisse, tum et habere unde sustentari sufficienter possint, nec cum aliis viris cohabitare, quam consanguineis, vel adfinibus in primo tantum gradu (1).

XXV. Quae autem adhuc usque ad religiosum habitum sunt admissea, vel in posterum erunt admittendae, nisi a velo, subgulari, et scapulari gestando se abstineant, excommunicatione plectentur.

CAPUT IX.

De laicorum sodalitatibus.

Ut fideles communi pietatis vinculo devincti alacrius in via Domini ambulent, et in sanctis operibus laeti iugiter progrediantur, Sodalicii legibus, praeceptionibusque adprime pareant, nec ullatenus a proposito Christianae disciplinae studio abduci per contentiones, aemulationesque patiantur.

I. Novae Sodalitates, absque nostra facultate, in Ecclesiis etiam Regularium non instituantur. Quae, praeterquam per nostrum decretum, et per

(1) Sacr. Congr. Episc. et Reg. 20. Decem. 1616.

Regni leges sunt institutae, irritas declaramus.

II. Quo tempore in maiori Ecclesia solemne Sacrum peragitur, vel concio, vel Catechesis ad populum habetur, vel vesperarum Officia obeuntur, vel supplicationes fiunt, conventus ne agant Sodales in Oratoriis suis. Secus si fecerint, interdicto subiicientur.

III. Si Oratoria intra Parochialem Ecclesiam sint constituta, divinas laudes diebus festis non concinant sodales, sed omnino submissa voce recitent, ut qui Sacris operantur, vel in Confessiones excipiendas incumbunt, haudquaquam perturbentur.

IV. Ab Oratorio futilia, et inania verba, ac multo magis rixae, iurgia, obtrectationes absint. Silentium perpetuo custodiant, et reliquo spatio, quod Divinis laudibus, Orationi mentali, et Rosariis precibus superfuerit, de spirituali aliquo libro, qui Rectori commodior visus fuerit, lectio recitetur.

V. In adsciscendis, cooptandisque sodalibus ne sine discrimine omnes recipiant, sed tantum, quos Deum timere, pacem colere, charitatis operibus intentos, ac christianae disciplinae amantes esse constiterit. Quam ob rem reiici iubemus, et arceri foeneratores, flagitiosos, et concubinarios, tum qui caede, et sanguine manus deturpaverint, quique blasphemiae, vel nefarii moris Divinum Numen, et Caelestes animas maledicendi arguantur. Quos vero rudes elementorum Christianae Fi-

*

dei compererint, et hi repellantur, ut, isto incitati exemplo, ad ea, quae scire Christianum hominem decet, addiscenda, animum ceteri libenter adpellant.

VI. Sodalitatum reditus in eos tantum usus, qui a piis testatoribus sunt commendati, et Deo maxime accepti, nec in ullos praeterea alios convertantur, impendanturque. Quamobrem, quae luxum, aemulationemque sapere videntur, omnino a festivitatibus abiiciantur, quae non in pompis, in concentibus, et in immodico, et inani ornatu sunt constituendae, sed in prolixiori pietatis studio, et charitatis actibus impensius exercendis. Atque neque postrema eorum animos incessat solicitudo, ut iis sumptibus, qui in vanis, et inutilibus rebus prodiguntur, sarcta tecta in primis habeantur Oratoria, altaria vestiantur, et sacra supellex munda sit, nec desideretur.

VII. Rectores, ad Spiritualia sodalitatum officia, auctoritate nostra probati, semel recepti, Nobis non consultis, ne dimittantur. Horum erit adsiduis monitionibus, cohortationibusque sodales urgere, ut in susceptae disciplinae proposito defixi, integrae vitae specimina populo praebeant; ut sicut in unum collecti sunt, ita soliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis; ut verbo Dei audiendo seduli sint, et statis temporibus sacra se confessione expiare, Divinamque Hostiam sumere ne omittant; ut Primores munus suum

integre, et diligenter obeant; ut si quid ex instituto distribuere egentibus, eleemosynarum nomine debeant, id summa religione praestent; ut si quae simultates, contentionesque inter sodales exoriantur, praesto omnes iis sedandis, componendisque occurrant; ut Parochis obsequantur in omnibus, nec se a reliquis ovibus segregatos perinde arbitrentur, quod sint in Sodalitium adoptati.

VIII. In quovis Oratorio, praeter tabellam, in qua legatorum onera omnia sunt descripta, adnotato auctoris etiam nomine, documento, institutione, et tempore, quo sunt implenda; altera item de pariete palam pendeat, qua indulgentiae, a Summis Pontificibus adtributae indicentur; et demum altera, in qua sodalium nomina ordine sint descripta.

IX. Nemo lineo sacco, sive phratriae veste indutus audeat eleemosynas quaeritare per Ecclesiam, vel per civitatem, aut dioecesim quocumque praetextu, etiam comparandi stipes pro celebratione Missarum in die commemorationis omnium defunctorum, sub gravi poena nostro arbitratu.

X. Funebria officia, quae a Sacris ministris, et Sacerdotibus sunt persolvenda, numquam solemniter peragere audeant laici sodales. Secus si fecerint, interdicto sodalitium subiiciemus. Neque eam ipsam effugient poenam, si non salvis proprio Parocho iuribus, vel sodalium, vel aliorum

defunctorum cadavera, in propriis Oratoriis, aut coemeteriis sepeliant.

XI. Vasa sacra, supelectiles, et quidquid Sacrum est, non apud laicos homines, sed vel in ipso Oratorio, vel apud probatae vitae Ecclesiasticum deponantur (1).

XII. Demum ut omnes, et singuli in officio contineantur, hoc Synodali decreto praecipimus, ut qui Primoribus phratriae gravem iniuriam intulerit; qui tribus continuis Dominicis diebus convenire ad Oratorium neglexerint; qui Deo, aut gloriosissimae Virgini Dei Matri Mariae maledixerit, aut gravem aliam blasphemiam in Sanctos coniecerit; qui fornicationis, adulteriive, aut alterius eiusmodi delicti reus erit; qui in iudicio peieraverit; qui furtum admiserit, aut alia quavis ratione damnum non leve proximo suo dederit, intuleritve; qui demum in supplicationibus, processionibusque capite non velato incesserint: hi omnes e sodalium albo omnino deleantur, neque in illam, ullamve aliam Sodalitatem recipiantur, nisi anno elapso, ad rectae mentis consilium revocati, emendationis, et poenitentiae haud dubia ediderint specimina.

XIII. Ut in sacris functionibus Sodalitatum, quae sunt intra Parochias erectae, aditus omnis praecludatur controversiis, decernimus, non ad Con-

(1) S. Car. Conc. Prov. lib. III. tit. XX. cap. XXIII.

fraternitates, earumque Sacellanos, sed ad Parochos spectare benedictiones cinerum, candelarum, ramorum olivae, delatationes Sanctissimi Sacramenti, Missas, ac Vesperas solemnes, aliaque sacra munia, quae etsi stricto iure de Parochialibus iuribus non sint, cum iisdem tamen ita implicitae, et connexae sunt, ut soli Parocho liceat eas obire (1).

XV. Quae, in designato a nobis cuiusque loci Oratorio, studiosae iuventutis Sodalitia instituimus, singulis feriis quinctis absque ulla intermissione habeantur. In iis omni Christiana disciplina instituantur adolescentes, ut quo magis aetate florent, eo regantur adcuratius. Qui per tres vices a conventu, nulla necessaria intercedente caussa abfuerint, praeceptores commonefaciat Praefectus, ut vel illos a ludo expellant, vel se ab amplius docendo abstineant. In conventu praeter mentalem Orationem, Missae Sacrum, et Christianae doctrinae exercitationem, enitatur Praefectus, ut meliores, eruditioresque suis sermonibus fiant. Insistant autem quam saepissime, ut otium, ac desidiam, quo ex fonte mala omnia, aetati illi infesta, profluere solent, uti pestem devitent; ut improborum consuetudinem, necessitudinemque longe aversentur; ut bonarum ingenuarumque artium studiis sedulo

(1) Decr. Sacr. Rit. Congr. 10, Decemb. 1703. a Summo Pontifice adprobatum, Confer, si. Benedictum XIV. Inst. Eccl. a num. 201 ad num. 111.

incumbant; ut ante omnia Deum timeant, Divinisque iussis obtemperent; ut in Ecclesiis summa pietate, ac religione versentur; ut ad Poenitentiae, et Sanctissimae Eucharistiae Sacramenta bis saltem quoto mense accedant; ut in omnibus demum se Christianos, et filios Christianorum dicto, ac facto ostendant.

XV. Ne religionis, et pietatis obtentu, ipsa pietas depereat, saluti animarum usquequaque prospicientes, Synodali hac constitutione iubemus, feminarum conventus neutiquam in Ecclesiarum Hypogaeis, abditisque locis haberi, neque in ipsis etiam publicis Oratoriis, nisi ianuis patefactis, et vespere tantum. Si contra quam a Nobis statutum, sancitumque est, quid actum fuerit, praeter poenas, in violatores nostra voluntate infligendas, Ecclesiae, Hypogaea, Oratoria facto ipso interdicta declaramus.

CAPUT X.

De Bonis Ecclesiae.

Qua fide, quantoque studio bona Ecclesiae servanda, curandaque sint; ex ipsa eorum natura abunde quisquis intelliget. Sunt enim deposita pietatis, et Christi, pauperumque patrimonium. Quocirca bona huiusmodi immobilia, vel mobilia quoque pretiosa, vendere, permutare, aut quovis modo alienare, Ecclesiae lege vetitum est,

gravissimis adversus inobsequentes poenis propositis, et sancitis.

I. Ex auctoritate Concilii Tridentini omnibus praecipimus sive Clericis, sive laicis, ne quis bona, iuraque Ecclesiarum occupare, aut falsa iuris specie usurpare, aut quominus ab iis, ad quos iure spectant, percipiantur, impedimento esse audeat, ea excommunicationis poena proposita, a qua nisi a Pontifice maximo, et nisi redditis, quae iniuste possidet, absolvi non possit. Quod si quis in beneficium, cuius occupat bona, ius patronatus obtinet, eo etiam patronatus iure privetur, et si Clericus sit, etiam beneficio, nedum ab ordinum usu prohibeatur (1).

II. Permutationes, alienationesque, sine ulla legitima auctoritate factas, nullam prorsus vim habere decernimus. Ideoque, nisi qui bona alienaverint, ea recuperandi quam citissime actionem instituant, et nisi qui ea occupaverint reddere eadem, cum fructibus iniuste perceptis, sibi in animum inducant, tum poenis ex canonum iure, tum suspensione, atque excommunicatione, si opus esse videbimus, in eos agemus (2).

III. Qui cuiuscumque Ecclesiae, vel beneficii, piorumque locorum, bona administrant, his

(1) Conc. Trid. Sess. XXII. *de Reform.* cap. II.
(2) Const. Paulli II. *Ambitiosae*, et Const. Paulli IV. *Iniunctum*.

nullatenus liceat, sive suo, sive alieno nomine, ex bonis iisdem vel emere, vel conducere, vel in emphyteusim accipere quidquam. Qui contra fecerit, indignus omnino habeatur, cui in posterum huiusmodi bonorum procuratio, et administratio committatur; et nisi Ecclesiae reddiderit, quae Ecclesiae sunt, suspensione, et anathemate ferietur.

IV. Bonorum locationes non ex arbitrio, sed publice proponantur, et omnibus conducendi potestate facta, iis tradantur, quorum utilior ex maiori pretio conditio videbitur; neque ultra tres annos stipulentur; neque repraesentata pecunia, vel anticipata solutione fiant, quae uti Concilii Tridentini decreto cautum est, nullam habent vim, nec tractu temporis convalescere possunt. Locari item nihil quidquam iis volumus, qui Ecclesiae debitores sunt, neque iis, qui fideiussorem dare recusant, cum quo, ubi opus, haud minus libere, quam cum ipso conductore, iure agi possit; neque propinquis intra tertium gradum, nisi magna, et non dubia Ecclesiae utilitas nobis probetur; neque iis demum, qui praedia habent adiacentia, ne forte agrorum suorum fines in fundos Ecclesiae protendant. Quod si utilitas, aut necessitas id fieri postulet, stipulatio per publicum notarium, non sine adcurata dimensione, et diligentissima finium praedii descriptione interponatur.

V. Praediorum Ecclesiae arbores ne caedan-

tur, nisi quae caeduae sunt. Si usu venerit, ut arbores alias non caeduas, vel ad Ecclesiam ipsam, vel ad Ecclesiae domus sarciendas, restituendasque, vel aliam ob caussam caedi oporteat, tunc facultate prius a Nobis scripto impetrata, id fieri ab administratoribus liceat.

VI. Bonorum administratores ita se gerant, ut eorum diligentia, et fides desiderari numquam possit. In codices accepti, et expensi adcurate descripta omnia conferant, rationesque reddant, ut est a legibus Ecclesiasticis statutum. Si quis exacto annuae administrationis officio, id praestare per tres menses culpabili negligentia distulerit, a fructuum perceptione, tum et a divinis suspensione mulctabitur. Post sex menses, si monitus reluctetur, severiores poenas arbitratu nostro experietur. Si quis damnum infideli administratione inlatum, intra annum a dimisso officio, non reparaverit, veluti bonorum Ecclesiasticorum usurpatorem puniri volumus, et declaramus.

VII. Ne vero iniuria temporum, quae Divino cultui, et egentium subsidiis consecrata sunt, depereant, Nos Apostolicis decretis inhaerentes statuimus, ut tam nostrae Cathedralis Ecclesiae Metropolitanae, et Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, ac utriusque Capituli, quam Collegialium, Receptitiarumque, et omnium aliarum Ecclesiarum, sive curatae sint, sive simplices, census agatur, et bona omnia immobilia, et mobilia singillatim

recenseantur, et recognoscantur, tum et iura, actiones, reditus, canones, census emphyteutici, tum demum et legata pia cum suis reditibus, et oneribus intra sex menses a die publicationis hujus Synodi adcurate conficiantur. Quapropter Ecclesiarum omnium Rectoribus singulis, et administratoribus, et beneficiariis districte in Domino praecipimus, ut intra sextum a publicatione huius Synodi mensem (adhibitis senioribus loci fide dignis, et peritioribus, qui quibus ea in locis sint, quibusve finibus contineantur, omnia a se visa, et recognita fuisse scripto testentur) singula in inventarium referant. Cuius quidem duo quisque authentica exemplaria conficiat, alterum in uniuscuiusque Ecclesiae, alterum in Archiepiscopali tabulario custodiendum: quod decimo quoque anno renovari iubemus, ut si augeri, vel minui, aut mutari rerum Ecclesiae, beneficiorumque statum contigerit, opportune adnotetur. Quod fideliter, necne, peractum sit, in Sancta Visitatione disquirendum Nobis reservamus.

VIII. Decimae quum Divino iusso Sacerdotibus debeantur, Deum ipsum rerum omnium datorem, cuius Dono, ac Providentia terra nobis fruges gignit, negare videntur, qui Deo ipsi decimas reposcenti subtrahere conantur. Idcirco ne propositum a Concilio Tridentino (1) anathema con-

(1) Conc. Trid. sess. XXV. cap. VII.

tra adversantes, repugnantesque quis incurrat, monemus, et hortamur omnes in Domino, ut debitas decimas integras Sacerdotibus persolvant, neque se, spreto animae suae periculo, ab iis per fraudem se eximant.

IX. Quandoquidem ante hos annos facta, per publicam auctoritatem, administratoribus universitatum potestate, ut si quando populi decimas in frugibus redimere voluerint, eas ipsi ex aere publico in certa numerata pecunia Sacerdotibus solverent, in multa Dioecesis nostrae parte res ita disposita, transactaque fuerit, officii nostri Pastoralis est, Communitates civicas, earumque administratores urgere, ne subtrahere umquam, vel retardare Sacerdotibus velint decimas Sacramentales, quas in transacta pecunia exsolvere Divino Iure tenentur, neque in capita sua Concilii Tridentini telum convertant.

X. Decimae Sacramentales, sive a populo in frugibus, sive a loci universitate in pecunia certa percipiantur, eodem aequo iure distribuantur, quo ab antiquo, iuxta nostrae Dioecesis constitutiones sunt partitae, salva earumdem quarta, quae Archiepiscopali Mensae sacro iure, et Regni lege debetur.

XI. Quum ex iniquitate temporum depraedationi patuerint Ecclesiarum, ac praesertim quae ad Metropolitanam Ecclesiam nostram, et ad Mensam Archiepiscopalem spectant, monumenta, qui-

bus eorumdem bona, iura, actiones, stipulationesque constant, qui sciens occupaverit, occultaveritque, nisi intra annum a publicatione huius Synodi reddat, excommunicationis poena teneatur.

CAPUT XI.

De Synodalibus Constitutionibus.

I. Quae in hac Synodo sancita, statutaque sunt, post duos menses, ex quo fuerint typis edita, observari ab omnibus in Dioecesi nostra praecipimus, eaque singulos etiam adficere declaramus, perinde ac essent singulis denunciata.

II. Integram, reservatamque Nobis, et Successoribus nostris esse volumus potestatem hisce Constitutionibus quidpiam addendi, aut refingendi, prout temporis ratio postulaverit, et magis in Domino visum fuerit expedire.

III. Si de Synodalium Decretorum sententia quaestio oriatur, eius dirimendae, atque Decreta ipsa interpretandi, explicandique ius penes Nos tantum esse declaramus, nec sibi id quisquam audeat vindicare.

IV. Quae ad tuendam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam sunt constituta, ut omnibus, et singulis de Clero cognita, et perspecta sint, et facilius in usum, moremque inducantur, mandamus, ut statim ac e typis prodierint, quis-

que sibi exemplar comparet; alterumque exemplar in tabulario cuiusque Ecclesiae perpetuo adservetur.

V. Quandoquidem multa passim Sancta hac Synodo decrevimus, quae laicorum mores, et officia adtingunt, ne quis ignorantiae excusatione ea declinare, ac refugere possit, animarum Curatores iubemus, ea omnia stato anni tempore iis enunciare, ut saepius inculcata adamussim serventur, praestenturque.

VI. Denique pro nostra reverentia, et submissione in Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam, quae Columna, et Firmamentum est veritatis, omniumque Ecclesiarum Mater, et Magistra, has easdem Constitutiones nostras, et quidquid in hoc Sacro Conventu decretum, promulgatumque est, Auctoritati, et Iudicio subiicimus Sanctissimi Romani Pontificis Leonis XII. Petri Successoris, et Vicarii Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, cui honor, gloria, et benedictio in saecula aeterna. Amen.

MICHAEL ARCHANGELUS Archiepiscopus Compsanus
Campan. Eccles. Administrator.

Iosephus Ant. Can. Maniscra
Synodi Secretarius.

ADLOCUTIO

AB ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO DOMINO

ARCHIEPISCOPO

Habita in fine Synodi.

Singulari Divinae Misericordiae munere iam Synodum absolvimus, et quae ad Christianae pietatis instaurandam disciplinam decernere visum est nobis in Domino, iam statuimus, et sancivimus. Modo id unum reliquum est, ut conventum dimittamus, et divellamur a vobis, quos in consiliorum nostrorum partem conscivimus, et quibuscum Pastoralis Solicitudinis nostrae studia omnia communicavimus. At antequam hinc abeatis, sinite, Venerabiles Fratres, nos charitatem vestram pauxillulum adfari. Sane, quae in Synodo constituimus, vestro iudicio, vestroque consensu sunt constituta; et si concordi studio composita, complanataque sunt omnia, eo promptiori nunc animo, ac propensiori voluntate, et diligenter, adcurateque ea ipsa servandi vobis onus incumbit. Sancivimus, Deo Auctore, quae ad sananda nostrae Dioecesis vulnera, quae ad disiiciendas morum tenebras, quae ad animarum pericula propulsanda, adprime aptiora existimavimus; nunc eo necesse est omnis cura, ac solicitudo vestra convertatur, ut quae sancte

sunt praescripta, sancte item, et omni sancto conatu in usum inducantur. Qua enim alia ratione aegrotantis Dioecesis saluti, et incolumitati consulamus, si quae proposuimus remedia, ea manibus vestris, ut per venas in omne corpus diffundantur, summa religione non praebeatis? Scilicet, adflante Dei benignitate, in vobis, in potestate vestra, in manibus vestris positum est, ut Christianae disciplinae ratio in universa Dioecesi reflorescat, augeatur, amplificetur, ut mores corrigantur, ut cuncti in suo se officio contineant, ut quae pravae consuetudines radices agere coeperint, evellantur. Quod profecto, ut facili negotio consequamini, ipsi vosmetipsos exhibete populis, vivae, atque loquentis legis instar, ad cuius regulam omnium actiones, et studia dirigantur. Quid enim erit de clero, quid de populo, si vos desides, ac remissos in iis ipsis exsequendis viderint, quorum participes in Synodo fuistis? Vel a quibusnam excitentur, incendanturque, nisi ad ea servanda ipsi stimulo omnibus eritis? Exerite itaque alacri animo vires vestras, impendite vos totos, et operam, industriam, labores, et vitam denique ipsam impendite pro populo: id certum, fixumque animo semper habentes, quod nihil magnum, nihil multum, nihil arduum, nihil operosum sit, quod agere pro eo non debeatis, qui vitam, et sanguinem dedit pro nobis.

Hunc animum, hanc voluntatem, communia

haec consilia nostra SANCTISSIMA BONI CONSILII MATER MARIA adiuvet, cuius festo die hanc nostram Synodum auspicato suscepimus celebrandam. Valete, venerabiles Fratres, et Caelesti igne inflammati ad Ovilia vestra revertimini, ut quo iam calefacti estis, eodem oves calefaciatis, et succendatis. Valete; et memores nostri in omni Oratione vestra estote, quemadmodum et nos oramus, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, et in omni sensu, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiae per Iesum Christum in gloriam, et laudem Dei.

FINIS.

ACTORVM TABVLA.

In Dei nomine Amen. Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo octingentesimo vicesimo septimo, die vicesima sexta Aprilis, feria quincta post Dominicam in albis, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae XII. anno quincto.

Campaniae in Ecclesia Cathedrali, praesidente Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Michaele Archangelo Lupoli Archiepiscopo Compsano, Campaniensis Ecclesiae Administratore perpetuo, ac praesentibus Reverendissimo Capitulo, et Canonicis tum Metropolitanae Ecclesiae Compsanae, tum Cathedralis Ecclesiae Campaniensis, universoque utriusque Civitatis, et Dioecesis Clero, per edictum ad Synodum Diocesanam celebrandam adcito, ac legitime congregato, persolutis rite omnibus ad Pontificalis Libri praescriptum per Canonicum Synodi Secretarium, clara voce e suggestu lecta, et publicata fuere Decreta Synodi praeliminaria, tum electi, ac designati Examinatores, et Iudices, nec non testes Synodales, et Fidei professio emissa ab omnibus, ac singulis est, qui eam nondum in Synodo ediderant. Deinde ab eodem Secretario lectae, ac promulgatae fuerunt Constitutiones Synodales, quae Synodi parte prima continentur. Sed quum dies advesperasceret, indicta altera Sessio est ad sequentem diem vicesimam septimam eiusdem mensis Aprilis; qua illucescente, precibus, caeremoniisque solemni ritu peractis, alterius partis Synodalium decretorum lectionem prosequutus est Synodi Secretarius. Postera die, vicesima octava eiusdem mensis, tertia Sessio Synodalis habita est, et Decreta evulgata sunt integrae partis tertiae. Quarta die, vicesima nona mensis Aprilis, quae incidit in Dominicam secundam post Pascha, Pontificali Missa de Sanctissima Virgine Dei Matre de Bono Consilio ab Illustrissimo et

Reverendissimo Patre, ac Domino Archiepiscopo celebrata, et Decretorum postremae partis lectione absoluta, Decretum de Synodi dimissione pronunciatum est. Quare Cleri facta adpellatione, et obedientia ab singulis, et universis Domino Archiepiscopo praestita, Gratiae Deo Optimo Maximo rite sunt actae, et dimissa est Synodus. Quarum rerum omnium in Synodo gestarum, instante Synodi Promotore, ut publicam conficerem tabulam, ego Eustachius Villani Canonicus Compsanus, et Synodi Notarius, rogatus hunc publicum actum confeci, subscripsi, publicavi, et meo solito signo signavi.

Loco + Sigilli.

APPENDIX I.

AD SYNODUM.

Forma iuramenti, ac Fidei professionis.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quae continentur in Symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia Saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpetrabor.

Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani Generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni admnistratione recipio, et admitto; omnia et singula, quae de peccato originali, et de instificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificinm pro vivis, et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius snbstantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnante, venerandos, atque invocandos esse; Eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atqne eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem in Ecclesia relictam fuisse, il-

larumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo.

Hanc vero Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime (Deo adiuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

CONCORDATO
FRA
SUA SANTITÀ PIO VII.
SOMMO PONTEFICE,
E
SUA MAESTÀ FERDINANDO I.
RE DEL REGNO DELLE DUE SICILIE.

IN NOME DELLA SANTISSIMA TRINITÀ.

Sua Santità il Sommo Pontefice Pio VII, e Sua Maestà Ferdinando I Re del regno delle Due Sicilie, animati da un egual desiderio di riparare i disordini, che nelle materie ecclesiastiche si sono introdotti nel regno, hanno determinato di comune accordo di stabilire fra loro una nuova convenzione.

Quindi Sua Santità il Sommo Pontefice Pio VII ha nominato in suo plenipotenziario l'Eminentissimo Signore Ercole Consalvi, Cardinale della S. R. C., Diacono di *S. Maria ad martyres*, suo Segretario di Stato.

E Sua Maestà Ferdinando I Re del regno delle Due Sicilie, l' Eccellentissimo signore D. Luigi de' Medici, cavaliere del real Ordine di S. Gennaro, Gran-croce de' reali Ordini di S. Ferdinando e del merito, e Costantiniano di S. Giorgio, e dell' imperial Ordine di S. Stefano di Ungheria, suo Consigliere e Segretario di Stato Ministro delle finanze.

I quali, dopo avere mutuamente cambiate le rispettive plenipotenze, hanno convenuto ne' seguenti articoli.

Art. 1. La religione cattolica apostolica romana è la sola religione del regno delle Due Sicilie; e vi sarà

sempre conservata con tutti i dritti e prerogative che le competono, secondo l' ordinazione di Dio, e le sanzioni canoniche.

Art. 2. In conformità dell'articolo precedente, l'insegnamento nelle regie Università, collegj e scuole, sì pubbliche, che private, dovrà in tutto essere conforme alla dottrina della medesima religione cattolica.

Art. 3. Riconoscintasi nella convenzione del 1741 la necessità di venire alla unione di parecchi piccolissimi vescovati, dove i vescovi non possono mantenersi colla decenza dovuta; e questa unione che allora non fu eseguita, essendo ora divenuta ancor più necessaria per la maggiore decadenza delle suddette ed altre Mense; si farà ne' dominj di quà dal Faro nel modo debito, e ricercato prima il consenso delle parti che vi avranno interesse, una nuova circoscrizione di diocesi. Nel determinarla si avrà riguardo al comodo de' fedeli, ed in particolar modo al loro spirituale vantaggio. Tra le Sedi, che o per troppa scarsezza di rendite, o per l' oscurità de' luoghi, o per altri ragionevoli motivi non potranno conservarsi, le più antiche, e le più insigni si conserveranno come concattedrali.

Ne' dominj poi di là dal Faro si conserveranno tutte le Sedi arcivescovili, e vescovili, che attualmente vi esistono; e di più, affine di provveder meglio al comodo ed al vantaggio spirituale de' fedeli, ne sarà accresciuto il numero.

I territorj di alcune abbadie *nullius dioecesis*, sia per la loro picciolezza, sia per la tenuità delle loro rendite, sia per la perdita che ne hanno fatta, verranno di concerto uniti a quelle diocesi, entro i cui confini si troveranno nella nuova circoscrizione.

Le abbadie concistoriali, le quali si ritrovano colla rendita al di là di cinquecento docati annui, rimarranno senza essere aggregate. I fondi delle altre minori della rendita suddetta, quando non sieno di gius-patronato, o si aggregherauno ad altre abbadie ecclesiastiche sino alla in-

dicata somma di ducati cinquecento, o ne sarà disposto in favore de' Capitoli, e delle parocchie.

Questa disposizione non riguarda le commende degli Ordini militari.

Art. 4. Ciascuna Mensa vescovile del regno non potrà avere una rendita minore di annui ducati tremila in beni stabili, libera da' publici pesi.

La Santità Sua di concerto con sua Maestà assegnerà il più presto possibile tali dotazioni in favore di quei vescovati, a'quali sarà applicabile la presente disposizione.

Art. 5. Ciascuna chiesa, sia arcivescovile, sia vescovile, avrà il suo Capitolo, e seminario, a'quali sarà conservata, se sufficiente, o accresciuta se mancante in parte, e se fosse necessario, anche per intero assegnata una sufficiente dote in beni stabili.

Ciascuna dignità del Capitolo metropolitano di Napoli non avrà meno di ducati cinquecento di annua rendita; e gli altri canonicati non meno di ducati quattrocento.

Le dignità de' Capitoli delle altre chiese arcivescovili e vescovili, che nella nuova circoscrizione verranno stabilite nella parte del regno di quà dal Faro, non dovranno avere meno di ducati centottanta di annua rendita, i canonicati non meno di ducati cento.

Questa disposizione non comprende i canonicati di padronato regio, ecclesiastico, e laicale, i quali si conserveranno nello stato in cui sono, a meno che da' rispettivi patroni non se ne vogliano nelle debite forme aumentare le rendite.

I seminarj saranno regolati, e le loro rendite amministrate a tenore del Concilio di Trento.

Art. 6. Le rendite delle chiese da unirsi si applicheranno a quelle chiese, che nella nuova circoscrizione si conserveranno, meno che altri casi urgenti delle suddette chiese da riunirsi richiedessero altra applicazione ecclesiastica, da farsi coll' intervento dell' autorità della Santa Sede.

I Capitoli di quelle chiese che nella nuova circoscrizione non saranno conservate, ricercato prima il consenso degl' interessati, saranno convertiti in Capitoli collegiati e la loro rendita rimarrà tal quale si trova nello stato presente.

Art. 7. Le parrocchie le quali non hanno una sufficiente congrua, avranno un supplimento di dote in tale proporzione, che le cure al di sotto di duemila anime non abbiano meno di ducati cento annui, quelle al di sotto di cinquemila anime in sopra, non meno di ducati dugento annui.

Sarà a carico de' rispettivi comuni il mantenimento della chiesa parocchiale, e del sottoparoco, qualora non vi sieno rendite addette a questo fine; e per la sicurezza se ne assegneranno i fondi, o tassa privilegiata nel pagamento.

Questo articolo non comprende le chiese parrocchiali di gius-patronato regio, ecclesiastico, e laicale canonicamente acquistato, le quali saranno a carico de' rispettivi patroni.

Nè pure vi restano comprese le chiese ricettizie, sieno numerate, sieno innumerate, i Capitoli e le collegiate con cura di anime, avendo la loro congrua nella massa comune.

Art. 8. La collazione delle abbadie concistoriali che non sono di regio patronato, spetterà sempre alla Santa Sede, che le conferirà ad ecclesiastici sudditi di Sua Maestà.

I benefizj semplici di libera collazione con fondazione ed erezione in titolo ecclesiastico saranno conferiti dalla Santa Sede, e da'vescovi, secondo la distinzione de' mesi ne' quali la vacanza succeda, cioè da gennajo al giugno della Santa Sede, e da luglio al dicembre da'vescovi. La provvista sarà sempre in persone di sudditi di Sua Maestà.

Art. 9. Si rassegnerà sollecitamente al Santo Padre la nota delle abbadie, come si ritrova nella Curia del

Cappellano maggiore, che sono di nomina di Sua Maestà, e la nota di quelle che non sono di regio patronato. Queste note potranno in seguito di concerto rettificarsi.

Art. 10. I canonicati di libera collazione, tanto de' Capitoli cattedrali, che de' collegiati, si conferiranno rispettivamente dalla Santa Sede, e da' vescovi; cioè ne' primi sei mesi dell' anno dalla Santa Sede, e ne' secondi sei mesi da' vescovi.

La prima dignità sarà sempre di libera collazione della Santa Sede.

Art. 11. La Santità Sua accorda a' vescovi del regno il dritto di conferire le parrocchie, che verranno a vacare in ogni tempo. Previo il concorso nelle parrocchie di libera collazione, i vescovi le conferiranno a'soggetti fra gli approvati ch' eglino giudicheranno i più degni. Nelle parrocchie poi di gius-patronato ecclesiastico presenterà come i più degni fra gli approvati dagli esaminatori. Finalmente nelle parrocchie di gius-patronato regio, e laicale, il vescovo instituirà il presentato, purchè nell' esame sia rinvenuto idoneo.

Si eccettuano le parrocchie che vacheranno in Curia, o per promozione a qualche dignità ecclesiastica, o canonicato conferito dalla Santa Sede, le quali saranno di collazione pontificia.

Art. 12. Tutti i beni ecclesiastici non alienati dal governo militare, e che al ritorno di Sua Maestà si sono trovati nell' amministrazione del così detto Demanio, sono restituiti alla Chiesa.

Seguita la ratifica del presente Concordato, la massa degli anzidetti beni sarà interinamente amministrata da quattro sceltissimi soggetti, due de'quali verranno nominati da Sua Santità, e due dalla Maestà Sua; e questi dovranno fedelmente amministrarli, finchè non sieno nel modo debito destinati ed applicati.

Art. 13. Essendo stato alienata sotto il governo militare ne' dominj di quà dal Faro non poca parte de'beni appartenenti alla Chiesa, e la Maestà Sua per opporsi

con tutti gli sforzi possibili alla incursione nemica, essendo stata costretta anch' Essa, tanto in Napoli, prima che seguita fosse la invasione de' detti dominj, quanto in quelli di là dal Faro, onde impedire che fossero invasi, ad alienare una piccola quantità di fondi ecclesiastici, con avere assegnato a'possessori ecclesiastici ne'suddetti dominj di là dal Faro per la dovuta indennizzazione altrettante rendite civili; quindi ad istanza della Maestà Sua, ed avuto riguardo alla pubblica tranquillità, che alla religione sommamente importa di conservare, Sua Santità dichiara, che i possessori di tutti gli anzidetti beni non avranno alcuna molestia nè da Se, nè da' Romani Pontefici suoi successori; e che in conseguenza la proprietà degli stessi beni, le rendite e i dritti a quelli annessi, saranno immutabili presso i medesimi, e quelli che hanno causa da loro.

Art. 14. Le attuali ristrette circostanze economiche del patronato regolare non alienato, e trovato da Sua Maestà al suo ritorno nell' amministrazione del così detto Demanio, non permettendo di ripristinare tutte le case religiose dell'uno e dell'altro sesso, le medesime verranno ripristinate in quel maggior numero che sarà compatibile co' mezzi di dotazioni, e specialmente le case di quegl' Instituti, che sono addetti alla istruzione della gioventù nella religione e nelle lettere, alla cura degl'infermi, ed alla predicazione.

I beni de' Regolari possidenti, non alienati, saranno con debita proporzione ripartiti fra i conventi da riaprirsi, senza avere alcun riguardo a' titoli delle antiche proprietà, che in vigore del presente articolo tutti restano estinti.

I locali religiosi non alienati, eccettuati quelli interamente addetti ad usi publici, se per mancanza di mezzi non potranno ripristinarsi, formeranno parte del patrimonio regolare; ed essendovi l' utilità del detto patrimonio, potranno anche alienarsi colle condizioni che il prezzo che se ne ritrarrà, debba surrogarsi in vantaggio del patrimonio medesimo.

Si aumenterà il numero de'conventi tuttavia esistenti de' religiosi osservanti, riformati, alcantarini e cappuccini, qualora le circostanze ed i bisogni delle popolazioni lo richieggano.

Fissate le rendite e le località già enunciate, sarà libera la vestizione de' novizj degli ordini regolari possidenti, e delle monache, in proporzione de' mezzi di sussistenza, come allo stesso modo sarà libera la vestizione de' novizj pe' religiosi mendicanti.

Le doti delle fanciulle, che si monacheranno, saranno impiegate in favore del monistero, secondo le disposizioni canoniche.

Tutti i religiosi, sì mendicanti, che possidenti, che saranno ripristinati, egualmente che quelli che esistono, dipenderanno da' loro rispettivi superiori generali.

A' religiosi di quegli Ordini regolari possidenti, che si riammetteranno ne' dominj di quà dal Faro, ottenendo l'indulto apostolico di secolarizzazione, e non essendo provveduti di benefizio ecclesiastico, il Governo per conto dell' erario continuerà a titolo di patrimonio la pensione, di cui ora godono, finchè sieno provveduti di un corrispondente benefizio, o cappellania. A' religiosi poi di quegl' Instituti che non potranno ripristinarsi, il Governo continuerà indistintamente il pagamento delle loro attuali pensioni.

Art. 15. La Chiesa avrà il diritto di acquistare nuovi possedimenti; e qualunque acquisto faccia di nuovo, sarà suo proprio, e godrà dello stesso diritto, che le antiche fondazioni ecclesiastiche.

Questa facoltà s'intende da oggi innanzi, e senza che sia di pregiudizio agli effetti legali delle leggi di ammortizzazione, che sono state in vigore finora, ed alla esecuzione delle suddette leggi, anche in futuro pe' casi non ancora consumati, e per le condizioni non ancora verificate.

Non potrà farsi soppressione alcuna, o unione delle fondazioni ecclesiastiche senza l'intervento dell'autorità

della Sede apostolica; salve le facoltà attribuite a'vescovi dal Sacro Concilio Tridentino.

Art. 16. Le luttuose circostanze de' tempi non permettendo che gli ecclesiastici godano l'esenzione da'pubblici pesi regj e comunali, Sua Maestà promette di far cessare l'abuso ne' passati tempi introdotto, per cui gli ecclesiastici e i loro beni venivano più gravati de'laici stessi: che anzi a' momenti felici di maggiori risorse dello Stato da religioso Sovrano si supplirà con elargizioni in vantaggio del clero.

Art. 17. Resterà soppresso il così detto Monte frumentario eretto in Napoli, o sia la regia amministrazione degli spogli e delle rendite delle Mense vescovili, abbadie ed altri beneficj vacanti.

Appena eseguita la circoscrizione delle diocesi, si stabiliranno in vece, in ciascuna di esse, delle amministrazioni diocesane composte da due canonici, che il Capitolo, sia metropolitano, sia cattadrale, eleggerà e rinnoverà di tre in tre anni per pluralità di voti, e da un regio proccuratore che verrà nominato da Sua Maestà.

A ciascuna amministrazione presederà il vescovo, o il di lui vicario generale, e nel tempo di sede vacante, il vicario capitolare.

L'Ordinario, e Sua Maestà per mezzo del suo regio Ministro, erogheranno di concerto i frutti percepiti da' sopraddetti vacanti a beneficio delle chiese, degli ospedali, de' seminarj, in sussidj caritativi ed in altri usi pii. Sarà però riservata la metà delle rendite delle Mense vescovili vacanti in favore del futuro vescovo.

La risoluzione tuttora vigente di depositare nel sopraddetto Monte frumentario la terza parte delle rendite de' vescovadi e benefizj, sotto il nome di *terzo pensionabile*, in forza del presente articolo resta abrogata, senza che per questo gli attuali pensionati rimangano privi delle pensioni delle quali sono in possesso.

All' occasione delle provviste de' vescovati, e benefizj di nomina regia, continuerà ad ammettersi la riserva

delle pensioni, secondo le forme canoniche. I nominati da Sua Mestà a tali pensioni otterranno dalla Santa Sede le corrispondenti bolle apostoliche, colle quali saranno abilitati a percepirle, vita loro naturale durante, rimanendo dopo la loro morte libero da tal peso il vescovato e benefizio, a carico del quale erano state riservate.

Art. 18. Sua Santità sopra alcuni vescovati ed abbadie del regno che verranno stabilite, si riserva *in perpetuum* dodicimila ducati annui di pensioni, delle quali il Romano Pontefice *pro tempore* disporrà a suo piacimento in benefizio de' suoi sudditi dello Stato ecclesiastico.

Art. 19. I benefizj ed abbadie situate nel regno delle Due Sicilie, i di cui frutti, o in parte, o in tutto, si trovano applicati a persone ecclesiastiche, ed a varie chiese, collegj, monasterii, e pie case di Roma, e di altri paesi dello Stato ecclesiastico, dovranno continuare ad essere applicati per lo stesso uso. Questa disposizione non comprende i benefizj ed abbadie di regio padronato, nè quelli i di cui beni sono alienati.

Art. 20. Gli arcivescovi ed i vescovi saranno liberi nell' esercizio del loro pastorale ministero, secondo i sacri canoni.

Riconosceranno nel loro Foro le cause ecclesiastiche, e principalmente le cause matrimoniali, che giusta il canone 12. Sess. 24. del sacro Concilio Tridentino spettano a'giudici ecclesiastici, e porteranno su di esse sentenza. Non sono comprese in questa disposizione le cause civili de' cherici, come per esempio, quello di contratti, debiti, eredità, le quali saranno conosciute, e definite da' giudici laici.

Castigheranno colle pene stabilite dal sacro Concilio di Trento, o altre che giudicheranno opportune, i cherici degni di riprensione, o che non portino l'abito chericale conveniente alla loro dignità, e al loro ordine, salvo il ricorso canonico, e li rinchiuderanno ne'seminarj, e nelle case de' regolari. Procederanno eziandio colle censure

contro qualunque tra' fedeli, che sia trasgressore delle leggi ecclesiastiche, e de' sacri canoni.

Non saranno impediti dal fare le sacre visite delle rispettive loro diocesi, e *ad limina Apostolorum*, e dal convocare i sinodi diocesani.

A' medesimi arcivescovi e vescovi sarà libero di comunicare col clero, e col popolo diocesano per dovere dell' officio pastorale; pubblicare liberamente le loro istruzioni sulle cose ecclesiastiche; ordinare, ed intimare le preghiere pubbliche, ed altre pie pratiche, quando lo richiederà il bene della Chiesa, e dello Stato, o del popolo.

Le cause maggiori spetteranno al Sommo Pontefice.

Art. 21. Gli arcivescovi e vescovi promuoveranno a' sacri ordini, previo il prescritto esame, e quando sieno provveduti del debito patrimonio, o di altro titolo canonico, quei cherici, che giudicheranno necessarj, o utili alle loro diocesi; colle cautele però e prescrizioni contenute nel decreto del 1 luglio 1625 della Sa. Me. di Gregorio XV, e nel concordato Benedettino, capitolo 4, che ha per titolo *Requisiti de' promovendi*: quali cautele, e prescrizioni non sono derogate col presente Concordato.

Essendo necessario di provvedere al sufficiente sostentamento di ciascun ecclesiastico, che ne' presenti tempi esige maggiori mezzi, gli arcivescovi e vescovi da ora in poi aumenteranno la tassa del sacro patrimonio per gli ordinandi, da costituirsi in beni fondi, la quale non potrà essere nè in minor somma di ducati cinquanta, nè maggiore di ottanta.

L' esperienza avendo dimostrato che nel regno accade frequentemente, che nel costituire i patrimonj sacri, si fanno degli assegni fraudolenti, o simulati, o non liberi da ipoteche ed altri vincoli, per cui gli ordinati a titolo di tali patrimonj si trovano poi sprovveduti, e mancanti di sussistenza; ad evitare quindi questo abuso, dovrà per la verità del fatto constare in forma legale della

pertinenza e della esenzione di ogni vincolo d'ipoteca del fondo, o fondi, che dall'ordinando si costituiscono in patrimonio sacro: al qual effetto le curie ecclesiastiche richiederanno il documento della pertinenza e libertà del fondo al tribunale civile della provincia, il quale non potrà ricusarlo.

I promovendi a' sacri ordini a titolo di beneficio, o cappellania, per essere ordinati, dovranno costituirsi un supplimento certo fino all'ammontare della tassa diocesana, come sopra, quando il frutto di esso beneficio, o cappellania fosse minore di detta tassa.

Questa disposizione non comprende le diocesi, nelle quali già fosse stata canonicamente stabilita una tassa patrimoniale maggiore, a riguardo delle quali non avrà luogo alcun cambiamento.

Art. 22. Sarà libero di appellare alla Santa Sede.

Art. 23. La comunicazione colla Santa Sede de' vescovi, clero, e popolo su tutte le materie spirituali, e gli oggetti ecclesiastici, sarà pienamente libera; e per conseguenza le circolari, leggi e decreti del *liceat scribere* sono rivocati.

Art. 24. Ogni qualvolta gli arcivescovi ed i vescovi ne' libri introdotti, o che s'introducono, stampati nel regno, troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chiesa, ed a' buoni costumi, il Governo non ne permetterà la divulgazione.

Art. 25. Sua Maestà sopprime la carica di regio Delegato della giurisdizione ecclesiastica.

Art. 26. La Curia del Cappellano maggiore e la sua giurisdizione si conterrà ne' limiti della costituzione di Benedetto XIV, che comincia *Convenit*, e del susseguente *Motuproprio* dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto.

Art. 27. La proprietà della Chiesa sarà sacra ed inviolabile ne' suoi possessi ed acquisti.

Art. 28. In considerazione della utilità che dal presente Concordato ridonda nella religione e nella Chiesa,

e per dare un attestato di particolare affezione alla persona di Sua Maestà il Re Ferdinando, Sua Santità accorda in perpetuo a lui, ed a' suoi discendenti cattolici successori al trono, l' indulto di nominare degni ed idonei ecclesiastici, forniti delle qualità richieste da' sacri canoni, a tutti que' vescovati ed arcivescovati del regno delle Due Sicilie, pe' quali Sua Maestà finora non godeva del dritto della nomina: e a tale effetto tostochè sieno seguite le ratifiche del presente Concordato, Sua Santità farà spedire la Bolla d' indulto.

Sua Maestà manifesterà in tempo debito a Sua Santità i nominati, affinchè a tenore de' canoni si facciano i necessarj processi, ed ottengano la instituzione canonica ne' modi e forme praticate finora. Prima però che l' abbiano avuta, non potranno in verun modo intromettersi nel regime, o sia nell'amministrazione delle rispettive Chiese, alle quali sono nominati.

Art. 29. Gli arcivescovi ed i vescovi faranno alla presenza di Sua Maestà il giuramento di fedeltà, espresso colle seguenti parole:

Io giuro e prometto sopra i santi evangelj obbedienza e fedeltà alla reale Maestà. Parimente prometto, che io non avrò alcuna comunicazione, nè interverrò ad alcuna adunanza, nè conserverò dentro, o fuori del regno, alcuna sospetta unione, che noccia alla pubblica tranquillità. E se, tanto nella mia diocesi, che altrove, saprò che alcuna cosa si tratti in danno dello Stato, lo manifesterò a Sua Maestà.

Art. 30. Quanto agli altri oggetti ecclesiastici, de' quali non è stata fatta menzione ne' presenti articoli, le cose saranno regolate a tenore della vegliante disciplina della Chiesa: e sopravvenendo qualche difficoltà, il Santo Padre, e Sua Maestà si riservano di concertarsi fra loro.

Art. 31. Il presente Concordato è sostituito a tutte le leggi, ordinazioni e decreti emanati finora nel regno delle Due Sicilie sopra materie di religione.

Art. 32. Essendosi rappresentato a Sua Santità per

parte della Maestà Sua, che, attese le attuali necessità delle chiese del regno di quà del Faro, e gli effetti prodotti dall' inimica invasione, la convenzione del 1741 non è più sufficiente a provvedere a' mali che richieggono un indispensabile riparo; e che altresì la parte de' dominj di là dal Faro, che la convenzione suddetta non abbracciò, è pure bisognosa di provvidenze; e che d'altronde essendosi de' dominj di quà e di là del Faro fatto ora un regno solo, conviene fissare una regola uniforme, da osservarsi egualmente nelle chiese di amendue i suddetti dominj; resta convenuto, che il presente Concordato è sostituito al precedente.

Art. 33. Ognuna delle alte Parti contraenti promette in suo nome, ed in quello de' suoi successori, di osservare esattamente tutto ciò che si è convenuto in questi articoli.

Art. 34. Le rattifiche del presente Concordato saranno cambiate in Roma, non oltre lo spazio di quindici giorni dalla data del presente.

Art. 35. Seguita la ratifica del presente Concordato, si commetterà l' esecuzione del medesimo a due sceltissimi soggetti, uno da nominarsi da Sua Santità, e l' altro dalla Maestà Sua, i quali saranno muniti dalle rispettive Parti contraenti delle opportune facoltà.

In fede di che i suddetti Plenipotenziarj hanno sottoscritto il presente Concordato, e vi hanno apposto i loro sigilli.

Fatto in Terracina, il giorno sedici di febbrajo dell' anno mille ottocento diciotto.

Firmato — Ercole Cardinal Consalvi.
Firmato — Cavalier Luigi de' Medici.

SS. D. Pii Papae VII. Litterae Apostolicae, quibus ratio conferendarum portionum in Ecclesiis Receptitiis praescribitur.

PIUS PAPA VII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Impensa, qua premimur sollicitudo de Dominici Gregis Nobis concrediti salute, ad ea procuranda Nos impellit, quae in minorum etiam Ecclesiarum utilitatem, feliciusque regimen noverimus redundare: Lubenti proinde animo preces excepimus, quas Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus Primus Regni utriusque Siciliae Rex perferendas ad Nos curavit, ut pro utiliori Ecclesiarum, quas dicunt *Receptitias*, sua in Ditione citra Pharum extantium, procuratione opportune consuleremus. Exponi siquidem Nobis fecit, eas receptitias Ecclesias, quarum aliae *Numeratae* nuncupantur, aliae *innumeratae*, prout nimirum vel designatus Ministrorum numerus, vel universi generatim locorum Presbyteri ad sacra peragenda ibidem recipiantur, a pietate Fidelium congruis redditibus esse auctas, qui pro rata portione viritim inter eos distribuuntur, qui ad illarum servitium, ac praesertim ad curam animarum, iisdem ut plurimum adnexam addicuntur: normam tamen aliquam necessario praescribendam esse, qua omni personarum acceptione sublata, receptitiis id genus Ecclesiis tales Presbyteri aggregentur; praefinitas portiones, sive menstruas, sive annales recepturi, qui pietate, doctrina, ac prudentia commendati, delatis muneribus in Fidelium utilitatem praeclare perfungantur: Nostram idcirco Apostolicam Auctoritatem deposci, ut eiusmodi normam praefiniremus, eamque Ordinariis Locorum accurate servandam committeremus. Cum itaque hoc pientissimi Regis desiderium in summam animarum utilitatem, et in sanctiorem earumdem Ecclesiarum cultum cessurum esse dignoverimus, annuendum eidem

sine haesitatione censuimus, quumque nulla de receptitiis Ecclesiis peculiaris dispositio fuerit constituta in Conventione superiori anno cum Maiestate sua inita, Apostolica Auctoritate praedictarum Ecclesiarum utiliori procurationi providere duximus eo modo quo magis in Domino conspeximus expedire. Quare ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus, et mandamus, ut in posterum ad portiones suscipiendas in Ecclesiis *receptitiis* illi tantum admittantur Sacerdotes, et Clerici qui a Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, aut Ordinariis locorum, pietate, ac doctrina commendatiores fuerint inventi. Iubemus proinde, ut quoties aliquis in possessionem iuris praestitutae portionis assequendae in *receptitiis* Ecclesiis fuerit immittendus, specimen antea ingenii, ac morum de iis habeatur, qui in illam admitti desiderant, et examen de ipsis instituatur coram Ordinariis ipsis, vel eorum Vicariis Generalibus, et tribus saltem ex Synodalibus examinatoribus, eoque rite peracto Ordinarius pro sua fide, et integritate, quos digniores iudicaverit, eos eligat, atque in possessionem immittat iuris praestitutae portionis assequendae. Eos vero sic electos, literisque Ordinariorum commendatos, veluti certae cuidam Ecclesiae receptitiae aggregatos, et adscriptos, ac in possessionem iuris praestitutae portionis assequendae immissos agnosci volumus, adempta cuilibet, ac praesertim competitoribus non electis, facultate interponendi appellationem ad Metropolitanum, seu ad Episcopum Provinciae antiquiorem, pro quibus dumtaxat causis usum appellationum huiusmodi interdictum declaramus. Confidimus vero summopere, Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, ac Ordinarios Locorum nedum Nostris hisce praeceptis, quae pro meliori Ecclesiarum huiusmodi ministerio protulimus, magna semper voluntate, studioseque obsequuturos, imo vero pro rei gravitate studium omne adhibituros, ut Ministri cuiusque Ecclesiae rationibus accommodati adsciscantur, qui et sui

muneris partes diligenter gerant, et instituendis populis, iisque in Coeli semita dirigendis, opera, consilio, sollicitudine praesto sint.

Decernentes has praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quamvis aliter indicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate, indicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti Papae XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictarum Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus.

Volumus tandem, ut praesertim literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCCXIX. Pontificatus Nostri Anno XX.

Firmato : H. Card. Consalvus.

Istruzioni disposte dalla Commissione de' Vescovi coll' intervento del Nunzio Apostolico, ed approvate da S. M. per la formazione de' titoli delle sagre ordinazioni nelle Chiese Ricettizie sufficientemente dotate.

Art. I. Tutte le Chiese Ricettizie di qualunque natura esse sieno per la loro fondazione, ancorchè annesse a Cattedrale, o Collegiate avranno un Clero numerato incardinato alle medesime, ed abitualmente inserviente alla cura.

Art. II. I Vescovi, nelle cui Diocesi sistono tali Ricettizie formeranno i loro piani per ciascuna di esse, fissando il numero dei Preti, che crederanno potervi incardinare, avendo riguardo al numero delle anime, alle circostanze Locali, ed alla massa delle rendite divisibili fra gl' incardinati a norma di ciò che si dirà in appresso, e si rimetteranno alle autorità superiori.

Art. III. Le porzioni di rendita certa, che saranno assegnate a ciascun Partecipante, potranno servire di titolo canonico pe' promovendi a' sacri ordini, quando sieno, (come debbono tutte essere) *conferite dal Vescovo, previo l' esame* a norma del Breve del Sommo Pontefice Impensa. Questa disposizione *non impedisce, che le partecipazioni suddette possano conferirsi a dei Sacerdoti ordinati*, o da ordinarsi *a titolo di sagro patrimonio.*

Art. IV. Nel fissare la rendita della massa Comune, per poterla in seguito ripartire in porzioni, si dedurranno

i soli pesi intrinseci alla medesima, come fondiaria, censi, annualità passive, e manutenzione di stabili, e di chiesa, quando la chiesa non abbia una rendita, ma sia a carico della stessa massa.

Art. V. Non debbono computarsi fra i pesi della massa gli onorarj soliti a darsi a' sacristani, a' proccuratori, agli esattori, ed ogni altro peso, che sia solito ad affidarsi a persona Ecclesiastica, e del corpo: dovendo questi pesi portarsi per turno dagl' individui stessi Partecipanti, come già attualmente si pratica nella maggior parte di dette Chiese.

Art. VI. Per tale oggetto formeranno i Vescovi de' regolamenti sentiti i Cleri medesimi, affinchè tali impieghi sieno disimpegnati gradatamente, o a vicenda, cominciando sempre da' più giovani.

Art. VII. Non dovranno computarsi tra i pesi della massa da detrarsi le funzioni sacre di qualunque natura, come ufficiatura, messe cantate, e messe piane. La celebrazione di queste messe sarà ripartita con giusta proporzione sulle diverse porzioni, che si formeranno.

Art. VIII. Nel caso, che il numero delle messe piane gravanti la massa comune fosse esorbitante, s' implorerà dalla S. Sede la facoltà, perchè possano i Vescovi farne una competente riduzione, secondo le regole, che la medesima suol prescrivere.

Art. IX. Il Partecipante, che mancherà alle funzioni, a cui sia obbligato d' intervenire, e di prender parte, sarà soggetto alla puntatura, che si fisserà stabilmente dai Vescovi.

Art. X. Fissata che sia la vera rendita netta della massa comune colle regole di sopra accennate, si preleverà dalla medesima la congrua del parroco (quando non l' abbia d' altronde) con quel medesimo tenore, e con quelle medesime proporzioni che sono fissate all' art. VII. del Concordato, la quale congrua dovrà esser sempre maggiore di un terzo delle altre partecipazioni, salve le

consuetudini antiche delle Chiese più favorevoli al parroco.

Art. XI. Prelevata la congrua del Parroco si formeranno del rimanente della massa comune tante porzioni, quanti sono i Ministri, che i Vescovi stimano necessarj a coadjuvare il Parroco nella cura, e nel servizio del culto.

Art. XII. Ove le rendite sieno sufficienti, sarà bene, che tali porzioni sieno distinte in maggiori, e minori. Si daranno le minori a quelli che sono posteriori nell'ingresso, e le *maggiori* A GIUDIZIO DEL VESCOVO *a coloro, che avranno il merito di un più lungo, e diligente servizio, e* SPECIALMENTE A' CONFESSORI, ed a quelli, che suppliranno immediatamente le veci del Parroco, e la porzione maggiore diverrà il suo titolo.

Art. XIII. Una tal divisione di porzioni in maggiori, e minori, non sarà necessaria ove i Clerici ricettizj sieno annessi alle Chiese cattedrali, o collegiate perchè potranno in questi casi i meritevoli essere considerati nella collazione dei Mansionariati, e Canonicati, a'quali saranno conservate le rendite, di cui ora godono, ed accresciute a tenore dell'articolo V. del Concordato.

Art. XIV. Dovranno sempre le partecipazioni considerarsi come importanti l'obbligo di residenza, che richiede l'attuale servizio, e però ottenendosi dal partecipante un qualche beneficio incompatibile, o nella stessa Chiesa, o altrove, vacherà ipso jure la partecipazione.

Art. XV. Il partecipante, che si allontanerà senza giusta causa, e senza permesso del Vescovo, dalla sua Chiesa per lo spazio di oltre tre mesi, sarà punito in una maniera conforme alla disposizione del Concilio di Trento.

Art. XVI. Il prodotto delle puntature, di cui si è parlato nell'articolo decimo, e che potranno risultare dalla colpevole assenza di alcuno si dividerà in fine dell'anno fra tutt'i partecipanti incluso il Parroco.

Art. XVII. Se vi saranno avanzi in fine dell'anno, o per aumento di rendita, o per vacanza di qualche par-

tecipazione si divideranno similmente fra tutti i partecipanti escluso il Parroco, il quale giusta l'artic. X. deve nella sua congrua avere una porzione notabilmente maggiore delle altre partecipazioni.

Art. XVIII. Nelle associazioni dei Cadaveri il Parroco, quando intervenga, o per se stesso, o per mezzo d'altri, che faccia le di lui veci, prenderà sempre una porzione doppia.

Art. XIX. Nelle Chiese, ove vi è l'obbligazione, o il lodevole costume dell'Ufficiatura Corale, faranno i Vescovi, che sia conservato, e proccureranno anzi che sia generalizzato.

Approvato. Verona 18 Novembre 1822.

Firmato — FERDINANDO.

Il Consigliere Ministro di Stato
Segretario di Stato degli affari Ecclesiastici
Firmato — Marchese Tommasi.

Sanctissimi D. N. Leonis PP. XII. Constitutio, qua Clementis XII. Benedicti XIV. et Pii VII. proscriptiones in secreta conventicula quaecumque, sectas, sectariosque innovantur, et confirmantur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quo graviora mala Christi Dei, et Servatoris Nostri Gregi imminent, eo maiorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in Beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi,

et regendi potestas, et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias, quas Christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam, easque tum Fidelibus indicare, et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices Praedecessores Nostri vigilias Boni Pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis, sectas extremum Ecclesiae exitium minitantes, prohibendas, et penitus delendas curarunt. Nec ex Annalium Ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest Pontificiae huius sollicitudinis memoria. Quae Nostra, et Patrum Nostrorum aetate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se se obiicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. Praedecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam de' Liberi Muratori, *sive* des Francs Maçons, *sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicae Ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta Constitutione, cui initium* In Eminenti, *edita Quarto Kalendas Maias anno* 1738, *cuius tenor is est, qui subiicitur.*

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei — Universis Christifidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem — In eminenti Apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti iuxta creditum Nobis Pastoralis providentiae debitum iugi (quantum ex alto conceditur) sollicitudinis studio iis intendimus, per quae, erroribus vitiisque aditu intercluso, Orthodoxae Religionis potissimum servetur integritas, atque ab Universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis in-

notuit longe lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula vulgo de' *Liberi Muratori*, *seu Francs Maçons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque Religionis et Sectae homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie arcto aeque ac impervio foedere secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur, quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hinc Societates, seu Conventicula praedicta vehementem adeo Fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut plurimis Regionibus memoratae Societates per saeculi Potestates tanquam Regnorum securitati adversantes proscriptae, ac provide eliminatae iampridem extiterint.

Nos itaque animo volventes gravissima damna, quae ut plurimum ex huiusmodi Societatibus, seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali Animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus, tum Canonicis minime cohaerere sanctionibus, cum divino eloquio doceamur diu noctuque more servi fidelis, et prudentis Dominicae Familiae praepositi, vigilandum esse, ne huiusmodi Hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de iustis ac rationabilibus causis Nobis notis easdem Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula *de' Liberi*

Muratori, seu *Francs Maçons*, aut alio quoquumque nomine appellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, et ex Apostolicae potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et praeeminentiae sive Laicis, sive Clericis tam Saecularibus, quam Regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas Societates *de' Liberi Muratori*, seu *Francs-Maçons*, aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, vel domibus, seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, aut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut huiusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Coetibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena Excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper, et mandamus, ut tam Episcopi et Praelati, Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique Locorum deputati Inquisitores adversus transgressores, cuiuscumque sint gradus, status,

conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque tanquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingesimo Trigesimo Octavo Quarto Kalendas Maii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Haec tamen recolendae Memoriae Benedicto XIV. itidem Praedecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui literis Excommunicationis poenam iam evanuisse, quod Benedictus eas Literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a Successoribus expresse approbentur; et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis Constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de Sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus, edita nova Constitutione, cuius initium -- Providas -- *XV. Kalendas Aprilis Anno Millesimo Septingentesimo*

Quinquagesimo primo, qua Clementis Constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut aiunt, specifica, quae omnium amplissima, et efficacissima habetur confirmavit. Talis vero est Benedicti Constitutio.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei — Ad perpetuam Rei memoriam — Providas Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum leges, atque sanctiones non solum eas, quarum vigorem vel temporum lapsu, vel hominum neglectu labefactari aut extingui posse veremur, sed eas etiam, quae recentem vim, pleuumque obtinent robur, iustis gravibusque id exigentibus causis, novo Auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens PP. XII. per suas Apostolicas Litteras Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo quarto Kalendas Maias Pontificatus sui Anno Octavo datas, et Universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est *In Eminenti*, nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes vulgo *de' Liberi Muratori*, *seu des Francs Maçons*, vel aliter nuncupatas, in quibusdam Regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena Excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, nequis auderet vel praesumeret huiusmodi Societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, aut alias, prout in eisdem Literis latius et uberius continetur, quarum tenor talis est, etc. etc. etc.

Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo iactare non dubitaverint dictam Excommunicationis poenam a Praedecessore Nostro, ut praefertur, impositam non amplius afficere, propterea quod

ipsa praeinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro Apostolicarum Constitutionum a Praedecessore editarum subsistentia Pontificis Successoris expressa confirmatio requiratur.

Cumque etiam a nonnullis piis, ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi Nostri cum eiusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem, magnopere expediens fore ut eiusdem Praedecessoris Constitutioni novum confirmationis Nostrae suffragium adiungeremus.

Nos licet hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis eiusdem Constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus, seque a damnatis huiusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, et numquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa Excommunicatione tum antea saepe, tum maxime elapso Iubilaei Anno benigne concessimus, seu dum facultatem Poenitentiariis a Nobis deputatis communicavimus, ut huiusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem Nostro nomine, et auctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus Iudicibus et Tribunalibus adversus eiusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit, non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi Nostri sensus, ac firma et deliberata voluntas quoad censurae per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, impositae vigorem et subsistentiam satis aperte inferri debuerant; siquae autem contraria de Nobis opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere possemus, causamque Nostram iusto Dei Omnipotentis iudicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras Actiones recitata fuisse constat: *Praesta, quaesumus Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate*

calcata exoramus, *ut nec terreri nos lacerationibus patiaris iniustis*, *nec captiosis adulationibus implicari*, *sed potius amare*, *quod praecipis*: ut habet antiquum Missale, quod Sancto Gelasio Praedecessori Nostro tribuitur, et a Venerabili Servo Dei Iosepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quae inscribitur, et *contra obloquentes.*

Ne tamen aliquid per Nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Praedecessoris Nostri Constitutionem praesentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam in forma specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus, prout eam ex certa scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine earumdem praesentium Literarum tenore in omnibus, et per omnia, perinde ac si Nostris Motu proprio, Auctoritate, ac Nomine primum editae fuissent, confirmamus, roboramus, et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis causas in praeinserta Constitutione enunciatas una est, quod in huiusmodi Societatibus et Conventiculis cuiuscumque Religionis, ac Sectae homines invicem consocientur, qua ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicae Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in huiusmodi Conventiculis fiunt, quibus proinde ea sententia merite aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimirum diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent*, *scelera secreta sunt.* Tertia est iusiurandum, quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui cuiuslibet promissionis aut iuramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in

huiusmodi Conventibus fiat, quod sit contra Religionis, aut Reipublicae statum, et leges. Quarta est, quod huiusmodi Societates non minus civilibus, quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur, quum scilicet iure civili omnia Collegia, et Sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum Libro XLVII. Tit. 22. *de Collegiis, ac Corporibus illicitis*, et in celebri Epistola C. Plinii Caecilii Secundi, quae est XCVII. Lib. X. in qua ait edicto suo secundum Imperatoris mandata vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, idest ne Societates et Conventus sine Principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est, quod iam in pluribus Regionibus memoratae Societates, et Aggregationes Saecularium Principum legibus proscriptae, atque eliminatae fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem Societates et Aggregationes male audirent, eorumque iudicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Denique idem Praedecessor in praeinserta Constitutione Episcopos, et Superiores Praelatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius exequutione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Quae omnia et singula non solum a Nobis approbantur, et comfirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respective commendantur et iniunguntur, verum etiam Nos ipsi pro Apostolicae sollicitudinis Officio praesentibus Nostris Literis Catholicorum Principum, omniumque Saecularium Potestatum opem et auxilium quoad praemissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus, quum ipsi supremi Principes et Potestates electi sint a Deo Defensores Fidei, Ecclesiaeque Protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia praestentur, quod iis in memoriam revocarunt Trident. Synodi Patres *Sess.* 25. *Cap.* 20, multoque antea egregie declaraverat Imperator Ca-

rolus Magnus suorum Capitularium *Tit. I. Cap.* 2, ubi post demandatam omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum sanctionum observantiam, haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis Ditionum suarum Praesidibus, et Ministris iniungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiae legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in Nostro Imperio honores retinere, licet etiam filii Nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque Nobiscum, aut cum Nostris Societatem aut Communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septigentesimo quinquagesimo primo decimo quinto kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno undecimo.

Utinam, qui rerum tunc potiebantur, tanti haec decreta fecissent, quanti tum Ecclesiae, tum Reipublicae salus postulabat. Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus Beati Petri Successoribus, non modo

Ecclesiae universae Pastores, et Magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum, quae imminent, indices suspicere se debere. Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede Apostolica fuerant patefacta. Iam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam, vel saltem levissime tractandam iudicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quae nunquam friguerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quae ceterarum princeps in Italia, aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos, acerrime Catholicam Religionem, et Supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio Regimine, illa irrepserat una cum externis hominibus eius invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius Septimus, cui Nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit edita Idibus Septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo Constitutione, cuius initium — Ecclesiam a Iesu Christo — *Huius etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est eiusmodi.*

Pius Episcopus Servus Servorum Dei — ad perpetuam rei memoriam — Ecclesiam a Iesu Christo Salvatore Nostro supra firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit nunquam portas inferi praevalituras, tot saepe ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa, et quae transire non potest promissio intercessisset, metuendum videretur, ne ipsa illorum aut.

vi, aut artibus, aut calliditate circumventa penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab Apostolis praenunciatum, quo venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Nec enim quemquam latet, quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius, qui id praecipue curant, ut deceptis per philosophiam et inanem fallaciam Fidelibus, et ab Ecclesiae doctrina avulsis, ipsam Ecclesiam irrito licet conatu labefactent, et evertant. Quod ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos coetus, clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant ut plurimos in suae coniurationis, et sceleris societatem liberius pertraherent.

Iampridem Sancta haec Sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit, et consilia, quae clam ab iis essent inita contra Religionem, imo et contra civilem Societatem patefecit. Iampridem omnium excitavit diligentiam, ut caverent, ne his sectis id conari liceret, quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis Apostolicae studiis non eum exitum respondisse, quem ipsa spectabat, et scelestos homines nunquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quae nosmetipsi perspeximus: imo homines, quorum superbia ascendit semper, novas etiam secretas Societates inire ausi sunt.

Commemorari hoc loco debet Societas nuper orta, et longe lateque in Italia, aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen sententiarum, et facinorum communione, et foedere quodam inito una est, et Carbonariorum plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam, et mirificum quoddam studium in Catholicam Religionem, et in Iesu Christi Ser-

vatoris Nostri personam et doctrinam, quem etiam societatis suae rectorem, et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt, quam iacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sane severissimum illud iusiurandum, quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo unquam tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in Societatem non adscriptis quidquam, quod eam Societatem respiciat, vel communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur, aliquid, quod ad gradus pertineat superiores, clandestina illa praeterea et illegitima conventicula, quae more a pluribus Haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cuiuscumque Religionis et sectae in suam Societatem, etsi cetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Verum coniecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis iudicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur, quae in Conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum Catechismi, et statuta, aliaque authentica, et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam Societatem deseruissent, cui antea adhaeserant, eius errores et fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, Carbonarios id praecipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent, Religionem, quam colant, proprio ingenio, et ex eius opinionibus sibi fingendi, indifferentia in Religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius, ut Iesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent, ac polluant, ut Ecclesiae Sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur), et ipsa Religionis Catholicae Mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apo-

stolicam evertant, in quam, quoniam in ea Apostolicae Cathedrae semper viguit Principatus, singulari quodam odio alliciuntur, et pestifera qnaeque ac perniciosa moliuntur.

Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt, quae Carbonariorum Societas tradit de moribus praecepta, quamvis confidenter iactet se a suis Sectatoribus exigere, ut caritatem ac omue virtutum genus excolant, et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet, docet licere eos interficere, qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint; et licet Apostolorum Princeps Petrus praecipiat, ut Christiani omni humanae creaturae propter Deum subiecti sint, sive Regi qnasi praecellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis etc., iubeatque Paulus Apostolus, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; ea tamen Societas docet integrum esse, seditionibus excitatis, reges ceterosque imperantes, quos per summam iniuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Haec, aliaque huius Societatis dogmata, et praecepta sunt, ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a Carbonariis commissa, quae adeo gravem honestis, piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores domus Israel, quae est sancta Ecclesia, constituti sumus, et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus, ne Dominicus Grex nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII. et Benedicti XIV. Praedecessorum nostrorum, quorum alter quarto kalendas maias anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi Constitutione -- *In eminenti* -- alter decimo quinto kalendas aprilis anni millesimi septigentesimi primi Constitutione -- *Providas* -- damnarunt, et prohibuerunt Societates *dei liberi Muratori*, *seu Francs*

Maçons, aut alio quocumque nomine pro regionum, et idiomatum varietate appellatas, quarum Societatum fortasse propago, vel certe imitatio haec Carbonariorum Societas existimanda est. Et quamvis iam duobus Edictis per Nostram Status Secretariam propositis hanc Societatem graviter Nos prohibuerimus, memoratos tamen Praedecessores Nostros sequentes graves poenas in hanc Societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, praesertim cum Carbonarii passim contendant, se duabus illis Clementis VII, et Benedicti XIV Constitutionibus non comprehendi, nec sententiis, et poenis in illis latis subiici.

Audita igitur selecta Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et de eius consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictam Societatem Carbonariorum, aut alio quocumque nomine appellatam, eius Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, Conventicula damnanda, et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictam Societatem Carbonariorum, aut alias nuncupatam inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, illi, et cuicumque eius gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem, palam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquomodo prae-

stare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut huiusmodi Societati, aut cuicumque eiusdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab eadem Societate, eiusque Coetibus, Conventibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic Societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae commemorata sunt, se inquinasse.

Postremo, ut omne periculum efficacius arceatur, damnamus, et proscribimus omnes Carbonariorum, ut aiunt, catechismos, et libros quibus a Carbonariis describuntur, quae in eorum conventibus geri solent, eorum etiam Statuta, Codices, ac Libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos, et quibuscumque Fidelibus sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut retinere, ac mandamus, ut illos vel locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos eosdem recipiendi ius pertinet, omnino tradant.

Volumus autem, quod praesentium literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et in-

terdictionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo idibus Septembris Pontificatus nostri anno vigesimo secundo.

Non multo post editam hanc a Pio VII Constitutionem ad supremam Beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam, praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est, quae — Universitaria — *dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Iuvenes a nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, eiusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.*

Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae, et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae Principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, qui-

bus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata, et praecepta; eius dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam, et per calumniam adseribi. Libri, quos de Religione, et Republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: Codices et Statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quae iam memoravimus, et quae ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas.

Quae cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem, ut nulla ex iis iactare possit se Apostolica sententia Nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et etiam Motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris Societates occultas omnes, tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam, et Supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur Praedecessorum Nostrorum literis in hac Nostra Constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus.

Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumeat praedictas Societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut huiusmodi Societatibus, aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, earum Coetibus, Conventibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his Societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

Praecipue vero iusiurandum illud impium plane, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos, quae ad illas sectas

pertinent, *et morte mulctaturos eos omnes sodales*, *qui ea Superioribus sive Ecclesiasticis*, *sive Laicis patefaciunt*, *omnino damnamus*, *et plane irritum declaramus*. *Quid enim? Nonne nefas est iusiurandum*, *quod in* iustitia *pronunciandum est*, *veluti vinculum habere*, *quo quis se ad iniustam caedem obliget*, *et ad eorum contemnendam auctoritatem*, *qui cum vel Ecclesiam*, *vel legitimam civilem Societatem moderentur*, *ius habent ea cognoscendi*, *quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum*, *et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare? Rectissime Patres Concilii Lateranensis III. inquiunt can.* 3. Non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quae contra utilitatem Ecclesiasticam, et Sanctissimorum Patrum veniunt instituta. *Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia*, *sive amentia*, *qui cum non modo in corde suo*, *sed etiam palam*, *et in publicis scriptis dicant* non est Deus, *audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus*, *quos suas in sectas deligunt*.

Haec a Nobis constituta sunt ad furiosas, *et scelestas has omnes sectas comprimendas*, *et damnandas*. *Nunc vero vestram*, *Ven. Fratres Catholici Patriarchae*, *Primates*, *Archiepiscopi*, *et Episcopi*, *operam non postulamus modo*, *sed etiam flagitamus*. *Attendite vobis*, *et Universo Gregi*, *in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. *Invadent quidem lupi rapaces in Vos*, *non parcentes Gregi*: *sed nolite metuere*, *nec facite animam vestram pretiosiorem*, *quam Vos*. *Illud tenete*, *a Vobis maxima ex parte pendere hominum Vobis commissorum in Religione*, *et recte factis constantiam*. *Quamvis enim iis vivamus diebus*, qui mali sunt, *eoque tempore*, *quo plures* non sustinent sanam doctrinam, *perdurat tamen permultorum Fidelium in Pastores suos observantia*, *quos iure suspiciunt veluti Christi ministros*, *et dispensatores mysteriorum eius*. *Utimini igitur in Ovium vestrarum commodum hac auctoritate*, *quam in earum animis immortali Dei beneficio*

retinetis. Cognoscant per Vos Sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, Vobis auctoribus, et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima Religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut Vos verbis alloquamur Praedecessoris Nostri Clementis XIII. in sua Epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiae Catholicae diei 14 *Septembris anni* 1758. Repleti simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, iudicio, et virtute, ne tanquam canes muti non valentes latrare Greges Nostros patiamur fieri in rapinam, et Oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes Nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.

Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium, Carissimi in Christo Filii nostri Catholici Principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea Vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cuius in dignitate Successores, et nominis licet indigni Haeredes sumus, ad Leonem Imperatorem scribens usus est: Debes incunctanter advertere Regiam potestatem Tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas. *Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam Religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro Imperio subiectorum incolumitatem, sectae illae a Vobis coer-*

cendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore cum Societatis salute ita coniuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus Religionis, quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut Religionem, aut Regiam ullam potestatem superesse.

Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum eius aversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant Nostram, et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur, imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda iura, tum ex iis, quae propria sunt Apostolicae huius Cathedrae, et Ecclesiae principalis, *tum ex iis, quae ad Episcopos pertinent, qui in Nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo, quo inflammantur in Religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes, quae Vestro Imperio subiiciuntur, si forte perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus, et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam Regiminis formam immutandam, et destruendam.*

Vos etiam omnes, o Dilecti Filii, qui Catholicam Religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri Vobis poterit ex coniunctione cum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios Conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiae, et Societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis iam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis homi-

nibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum Ave iubet Ioannes in secunda sua epistola ver. 10, *et quos primogenitos Diaboli appellare Maiores Nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus Vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod Religioni adversetur, imo nihil vel praedicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione iurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim, et audaciam ex omnium, qui iis nomen dederunt, consensione, et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom.* c. 1. qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Postremo eos, qui cum iam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Eius enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare iustos, sed peccatores, et se Pastori aequiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecra-

mus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Iesu Christi filii eius misericordia, et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Iesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi Patris, qui Filios prodigos iamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero, ut quantum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has Apostolicas Literas in Regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas, sectis illis nomen dantes, inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque Confessario, modo sit ex eorum numero, qui a locorum, in quibus degunt, Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in Urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit, (quod Deus Misericordiarum Pater avertat) ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et vere resipiscat, eo elapso, continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem iuramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris Successoribus, aut ab iis, qui a Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Volumus autem, quod praesentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, Mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo quinto Tertio Idus Martii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B. CARD. PRO-DATARIUS.

Pro Domino Card. Albani. *F. Capaccini Substitutus.*

V i s a

De Curia. D. Testa.

Loco ✝ Plumbi.

F. Lavizzarius.

Registrata in Secretaria Brevium.

APPENDIX II.

Compsanorum Pontificum Series.

Cozam veteres ab initio dixerunt, quae graecorum more, qui urbium quoque nomina ad venustatem quamdam inflectere solebant, Κομψα *scita*, *elegans* audiit. Rem extra omnem dubitationis aleam antiquae urbis numus ponit, cum inscriptione Cozano (1). Latini vero utroque servato nomine Cossam (2), et Compsam adpellarunt. Atque miror equidem, qui factum sit, ut e nostratibus plerique haud unam eamdemque, sed duas fuisse reapse distinctas urbes autumati sint. Profecto saniori consilio egissent, si in Sigonii summi viri sententiam saltem venissent, qui *Cossam*, amanuensium culpa in Livii Patavini libris non raro intercidisse putavit pro *Compsa*, proindeque ad hunc modum ex antiquissimis exemplaribus lectionem esse restituendam, componendamque: adeo

(1) Numus altera parte caput iuvenile galeatum refert, altera vero Caput equi cum freno. Hunc edidit ex M. R. Clariss. Sestinius cum inscriptione Cosa, eumque ad Etruscas Cosas amandavit. Sed numus non Cosa sed Cozano est perspicue inscriptus cum inverso Z in tertio elemento, ut videre est etiam apud Clariss. Echkelium *Num. vet. anecd. Mus. Caesarei p.* 95. Iamdiu ego in ea versatus sum opinione, ut ad Compsam Samniticam urbem numus pertineret, et potissimis quidem rationibus, tum quod nulla in Etruria urbs est, cuius numi desinentiam praeferunt in No., quae frequentissima est in Samnii, et Campaniae numis, ut Kannano, Caleno, Aiseknino, Paistano, Svessano, Irino, Recino, tum ex ipsa numi facie, quae nihil commune exhibet cum Etruscarum urbium numis. Atque maximopere gratulor Clariss. Franciscum Avellinium in hanc sententiam descendisse in suo opere: *Ital. Vet. Numism. Suppl. ad Vol. 1. Neap.* 1814. quem videsis.

(2) Latini passim elementum Z in S mutasse innumerae testantur voces. Hinc patrissare, et pitissare dixerunt, quod Graecis Πατριζειν et Πυτιζειν. Atque, nisi prope fallor, memini apud Passerium in etruscis quibusdam monumentis Z pro S offendisse, ut in urna Clusina *Cezarie* pro *Cesaria*, et alibi *Satelia C. F. Velizza* pro *Velissa*.

sibi menti insederat, ad urbem unam bina illa spectasse nomina! Re enim vera Cossam, et Compsam Hirpinorum urbem duplici inflexione a veteribus adpellatam, marmora ipsa adprime, abundeque testantur. Exstat adhuc, dum haec scribimus, ad arcem Sancti Angeli Langobardorum antiquus lapis, in quo *P. Oppius Galeria Marcellinus splendidus eques Romanus* PATRONUS COMPSANORUM audit (1). Eodem modo in vetusto P. Mamerci Maximi cippo, quem inferne dabimus (2) *P. Mamercus P. F. Maximus* AEDILIS COMPSINORUM dicitur. E contrario prostat et ad hanc nostram aetatem Compsae marmor in haec verba: *Si quis autem ausus fuerit infringere vel aperire vel vexare ossa mea inferet poenae nomine* REIPUBLICAE COSSANAE *folles mille* (3). Sed absque antiquis lapidibus foret, quorum testimonium nec pervicax quis umquam refutare, nec subdolus quisquis corrumpere, vel sollicitare poterit, rem ipsam ex latinis eisdem scriptoribus facile, commodumque erat eruere. Sane enim constat, T. Annium Milonem in Compsae oppugnatione ex arce Karissana ictu lapidis concidisse, auctore Plinio *His. Nat. Lib. II. Cap. LV. L. Paullo C. Marcello Coss. lana pluit circa Castellum Carissanum* (4), *iuxta quod T. Annius Milo occisus est.* At-

(1) Vid. nostrum *Iter Venusinum*: Marm. Aeculanens. pag. 107. *Neap.* MDCCLXX.

(2) Lapidem habes in seq. adpendice.

(3) Vid. ibid.

(4) Ridendus plane hac in re Cluverius, qui *Ital. Antiq. Lib. IV. Cap. VIII.* Plinii textum in voce *Carissanum* corruptum esse ratus, ex ea syllabam RI delendam censuit, ut pro *Carissanum* legeretur *Cassanum*. Quid monstri hoc! Praeterquam enim quod aperte de Compsa in Hirpinis loquuntur Historici, accedit, quod adhuc ad milliarium unum a Compsa *Carissanum* castellum exstat, opidum nunc satis populosum, in cuius agro innumera passim militaria sepulcra eruuntur, quodque *Carianum*, pristino servato nomine, dicitur. Satius actum a Cluverio crediderim, si medicinam Caesaris loco potius adhibuerit, in quem forte *Thurinus* ager pro *Hirpino* inrepsit; nisi de alterius Thurii agro intelligendus Caesar, ad quartum fermc lapidem a Compsa, in Theorae vicinia, ubi antiqui alterius Thurii rudera visuntur.

que urbem hanc Caesar *Bel. Civ. lib. III.* COSAM adpellat: *Milo quibusdam solutis ergastulis COSAM in agro Thurino oppugnare coepit, eo cum a Q. Paedio cum legione* (1) . . . *lapide ictus esset ex muro, periit* (2). At Velleius Paterculus, qui genere Hirpinus erat, eumdem narrans casum, quae Caesari, et Hirtio COSA dicitur, COMPSAM adpellat *Hist. lib. II. Incoepto pari similis fortuna Milonis fuit, qui COMPSAM IN HIRPINIS oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum Patriae, quam armis petebat, poenas dedit vir inquietus, et ultra sortem temerarius.* Quid? si ipsa eadem urbs in Hirpinis Velleio eidem Cossa, Cosa, et Compsa dicatur? En locus ex eodem: *At Cossam, et Paestum abhinc annos CCC.* (i. e. V. C. CCCCLXXX.) *Fabio Dorsone, et Claudio Canina Coss. coloni missi.* Et adhuc clarius *Lib. II. Multum Minatii Magii atavi mei tribuendum est memoriae, qui tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut CUM LEGIONE, QUAM IPSE IN HIRPINIS conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, COSAMQUE occuparet.* Atque haec satis, ut insudare desinant historici in altera Cossa, vel Cosa in his nostris regionibus investiganda.

Quae porro urbis fortuna fuerit, vigente Republica, et sub Caesaribus, peculiari syntagmate longius sum persequutus, quod in forulis adhuc adfectum habeo. At quamvis per Annibalica tempora post Cannensem cladem (3), tum et in Socialis belli conflagratione, variis fuerit iactata tempestatibus, atque ipsa diuturnitate, iniuriaque

(1) Lacunam insanabilem in hoc Caesaris loco habes, quae frustra eruditorum ingenia torsit.

(2) Ipsissimis verbis Hirtius *Bel. Civ. lib. III. Milo Pompeianus dux COSAM in agro Thurino oppugnare coepit, et quum a Q. Paedio Praetore cum legione.... lapide ictus esset, ex muro periit.*

(3) *Annibal post Cannensem pugnam, castra capta, ac direpta, confestim ex Apulia in Samnium moverat, accitus in Hirpinos a Statio, pollicente se Compsam traditurum. Compsanus erat Trebius nobilis inter suos. etc.* Liv. Hist. Lib. XXIII.

temporum, iacturam non mediocrem sit passa, celebritati tamen eius nihil esse per sequiora tempora detractum, vel ex eo uno pronum cuique erit arguere, quod sexto aevo a reparata hominum salute, in ea Civitate bellum, et Regnum Gothorum, sive Ostrogothorum explicuerit, qui misere Italiam per sexaginta pene annos divexaverant (1). Ac praeterea, nisi copiis, opibusque, et munitionibus Urbs praevaleret, neque quid mali foret ab ea timendum, profecto exactis amplius triginta tribus supra ducentos annos, haud in mandatis Carolus Magnus, qui Italiae rerum erat potitus, id praecipue Grimoaldo Arigisi filio dedisset an. DCCLXXXVIII. *ut moenia potentissimarum urbium Acherontiae, Salerni, et Compsae a fundamentis everteret* (2).

---

(1) *Anno* DLV. *Septem millia Gothorum Compsae se muniverunt. Narses tota hyeme sub ea arce mansit, nihil quidquam proficiendo. Vere autem appetente, Ragnarius eorum dux sagittae ictu fortuito percussus interiit. Qua de re Gothi statim de deditione cum hostibus hac pactione convenerunt, ut eorum vitae parceretur; qui promissis revera steterunt. Sed Narses, ne ipsi iterum deficerent, navibus impositos Constantinopolim misit. Atque hac actione et bellum, et Regnum Gothorum, sive Ostrogothorum explicuit. Regnum inquam, quod sexaginta annorum spatio conclusum est.* Vid. Murator. Annal Ital. ad hunc annum.

(2) Vid. Erchempertum n. 4. et Anonymum Salernitanum ap. Camil. Peregr. *Rer. Langob. Hist.* Porro ardua res esset, et a proposito fortasse aliena Compsae Comitum, qui per hanc aetatem Rem Compsanam amplificarunt, huc adtexere seriem. In hunc censum venit RANFO Comes Compsae anno 810. qui, teste Anonymo Salernitano, summa strenuitate pugnavit cum exercitu Gallorum apud Beneventum. RADELGISIVS Comes Compsae anno 820. qui, auctore Herchemperto n. 9. ob occisum Grimoaldum Principem, poenitentia motus, monasticam vitam hoc anno in Coenobio montis Casini sub Abbate Apollinari professus est, ibique iugi corporis mortificatione, eo perfectionis devenit, ut uxoris mortem, quae pari voto Religiosum habitum in monasterio Sanctimonialium S. Laurentii de Compsa sumpsit, eopte puncto suis Coenobitis revelavit. URSUS Comes Compsae anno 840, ad quem se confugit Siconolphus Salerni Princeps. LANDEMARIUS Compsae Comes anno 855. qui, ut ex Chronista Salernitano habemus, a populo Compsano ante Urbis portam in equitatu interfectus est. HERIMANNUS Comes Compsae an. 902. ex instrumento donationis per manus Ioannis de Venusia Monasterio S. Benedicti de Salerno die 5 Septembris indict. 4. ALGERIUS Compsae Comes an. 913. de quo idem Chronista: *Guainarius Princeps misit*

Sed urbis adprime inter Italicas praeclarissimae splendor omnis uno, horrendoque ictu pene evanuit VIII. Kal. Nov. anni CMXC. quo terrae ingenti motu concussa, convulsaque magna ex parte concidit (1). Tantaque ea clades fuit, ut caput suum haudquaquam ultra extulerit. Quae enim nunc visitur, nonnisi antiquae Compsae tristissimam refert imaginem, in colle ad Aufidi ripas, inter duas arces, loci natura munitissimas Carissanam nempe (nunc *Cariano*), et Petrampaganam (Pescopagano), quae frequenti populo incoluntur.

Unfridum Gastaldum in Montilla, quem Algerius comes de Consia expulit e finibus sui Gastaldatus. LANDOLFUS Atenulfi II. Principis filius, Comes Compsae anno 694. qui eiectus a Compsanis, sororis suae studio iterum receptus est. PANDULFUS Comes Compsae anno 967. ex instromento donationis Monasterio S. Michaelis de Villa Monticuli, de quo infra sermo redibit. SICENOLFUS Comes Compsae anno 991. qui ex Chronista Salernitano obtulit Monasterio S Benedicti de Salerno filium Magelfridum, et bona multa, quae possidebat in Consia, in Castellovetere, et Vallemara. Guino Guaimarii Principis Salerni filius, Compsae Comes an. 1049. ex instrumento donationis apud de Blasi *Ar n. 1. Lit. H n. 44. Ego Guaimarius, et Gisulfus per interventum D. Gemmae Principis, quae est dilecta coniux mihi Guaimario concedimus tibi Guidoni Consanorum Comiti, et Surentinorum Duci Terra Sacri n. Pal. in finibus Lucaniae, ubi Massa noba dicitur.* IOANNES Comes Compsae an. 1084. de quo Chronista Salernitanus: *Ioannes Comes Consiae venit in Monasterium nostrum, et donavit Curtem de Verrone in Consia, et Casalem S. Donati cum suis pertinentiis.* IONATHAS Comes Compsae anno 1161 cui multum debet Ecclesia Compsana, ex donationis instrumento, quod infra dabimus.

(1) De eo Romualdus Salernitanus ad annum DCCCCXC. *Stella a parte septemtrionis apparuit, habens splendorem, qui tendebat contra meridiem quasi passum unum, et post paucos dies iterum apparuit eadem stella a parte occidentis, et splendor eius ad orientem tenebat. Et non post multos dies fuit terraemotus magnus, qui plures evertit domos in Benevento, et in Capua, multosque homines occidit, et in Civitate Ariani plures Ecclesias subvertit, Civitas quoque Frequentum pene media cecidit, Civitatem vero Consanam prope mediam cum Episcopo subvertit, multosque homines oppressit. Rossam totam cum eius hominibus submersit.* His consonat ad eumdem annum Leo Ostiensis in Chronico Monasterii Casinensis: *Ante hos ferme biennium ingens terraemotus factus est, tam in Capua, quam Benevento, ita ut in Capua plurimas domos everteret, et campanas eiusdem civitatis per se sonari faceret. In Benevento autem Viperam deiecit, et subvertit quindecim turres, in quibus centum quinquaginta*

Atque id infortunium in caussa est, quam ob rem priscorum temporum memoriae deperierint, et frustra in iis conquirendis laboremus. Porro non bella tantum, sed incendia insuper accesserunt, quibus absumptum quidquid monumentorum reliqui erat. Nisi quod licet certissima desiderentur monumenta, et vix aliquid coniiciendo consequi possit, constanti tamen maiorum nostrorum accepimus traditione, in ipso Religionis primordio Christianam fidem Compsanis illuxisse, Cathedramque Episcopalem statim inibi constitutam. Atque utinam memorare heic datum mihi esset, qui prima illa aetate Divinum ius Compsanis dixerunt: qui profanos deorum cultus exterminarunt, errantesque populi greges ad laeta Christi pascua, caulasque traduxerunt! Sed ea est temporis vis, ut non hominum tantum nomina, et memorias, sed et urbes etiam, marmora, et aera exedat. Quapropter licet ordo, quem subteximus, Compsanorum Pontificum, plenior sit, quam antehac habebatur, non altius tamen, quam ab anno septincentesimo quadragesimo tertio illius duci filum oportuit, et utinam quandoque non diffractum. Sed antequam istam exordiar telam, disquirendum id necesse mihi video, quo primum tempore Ecclesia Compsana fuerit Metropolitano nomine, ac dignitate honestata, quam rem paucis conficiam. Hoc enim mihi tantum liberum est adfirmare, id non aute Leonem IX. obtinuisse (1),

homines mortui sunt. De Ariano, et Fregento magnam partem destruxit. Compsanam Civitatem prope mediam evertit, eiusque Episcopum cum plurimis aliis occidit. Rusan vero cum universis fere in ea manentibus submersit.

(1) Non ante Leonem IX. Siquidem ex Bulla Leonis ad Ioannem Archiepiscopum Salernitanum data *xi. Kal. Aug. an. MLI. per manus Friderici Diac. S. Ap. S. Bibl. et Can. et D. Herimann Coloniensis Archiep. et Archicancel. Anno. D. Leonis IX. Papae indict. IV.* patet adhuc Ecclesiam Compsanam suffraganeam ea aetate fuisse: *licentiam damus ordinandi, et consecrandi Episcopos suffraganeos Paesti, Compsae, Nolae, Cosentiae, Bisiniani, et Acherontiae.*

37

nec multo post illius Pontificatum (1). Ne plura. Videamus nunc qui, et quo ordine in hac sederint Cathedra.

---

(1) Nec multo post Leonis IX. Pontificatum. Nam ex Urbani II Bulla ad Alfanum Archiepiscopum Salernitanum anno MXCVIII. Indict. VI. concedens Primatum illi super Ecclesiam Compsanam, et Acherontinam, earumque suffraganeos, haec e vestigio subdit: *Verum ipsae, qua nescimus ratione, et pallii dignitatem, et privilegiorum auctoritatem* PRAETERITIS TEMPORIBUS A SEDE APOSTOLICA MERUERUNT. *Verum quia Praedecessorum nostrorum Statuta inconvulsa, et intemerata manere cupimus eis quidem propriae dignitatis gratiam conservamus, ut Archiepiscopali honore, et nomine potiantur.* Quae sane verba innuunt, multo ante an. millesimum nonagesimum octavum Compsam, et Acherontiam ex Apostolicae Sedis concessione iure metropolitico donatas. Quid si ex actis translationis S. Nicolai Myrensis aperte Leo Archiepiscopus Compsanus memoratur anno MLXXXI? Profecto Metropolitici Compsanae Ecclesiae iuris origo intra annum MLI. et an. MLXXXI. omnino statuenda. Porro autem Metropolis haec decimam quinctam in universa Italia constituit Ecclesiasticam Provinciam, cui sex Episcopatus subiiciuntur: MURANUS, LAQUEDONIENSIS, SANCTANGELENSIS, BISACIENSIS (cuius Cathedra a Paullo III. litteris Apostolicis, datis Romae an. MDXXXIV. tertio Nonas Novembres aeque principaliter Cathedrae S. Angeli Langobardorum est unita), MONTEVIRIDENSIS (a Pio VII. Litteris Apostolicis datis Romae an. MDCCCXVIII. quincto Kal. Iulii suppressus, et Sancti Angeli Cathedrae adiunctus), et SATRIANENSIS iisdem Apostolicis Litteris una cum Campaniensi Cathedra, cui subiacet, in administrationem Archiepiscopo Compsano tributus. Quoad vero Metropolitanam adtinet Dioecesim, ad quadraginta milliaria protenditur, intra cuius limites opida vigintiquatuor continentur. Horum alia in Civili Ulterioris Principatus Provincia censentur: *Compsa* urbs, Hirpinorum Metropolis, *S. Andreas*, *Andrecta*, *Caletrum*, *Castellum Carissanum* quod nunc *Cariano*), et *Theora*. Alia in Citerioris Principatus Provincia, *Volceium* nempe (urbs in antiquitate praeclarissima, nunc *Buccino*), *Aulecta*, *Calabretum*, *Caput Silari*, *Castrum novum*, *Collianum*, *Contursium*, *S. Gregorius*, *Lavianum*, *Olivetum*, *Palum*, *Qualiecta*, *Salvetellus* (ex templi Telluris titulo nuncupata, nunc *Salvetelle*), *S. Menna*, *Valva* (in antiquitate *Valvae Hirpinorum*), *Sinus Herculis*, nunc *Senerchia*. Alia demum in civili Lucaniae Provincia, nimirum *Campi veteres* (nunc *Victri* di Potenza); et *Petrapagana*.

I.

Pelagius primus occurrit, qui Compsanam moderabatur Ecclesiam anno DCCXLIII. Romano enim Concilio interfuit, quod Zacharias Pontifex Maximus, indictione XII. anni III. Artabasdi Imperatoris, et XXXII. Luitprandi Langobardorum Regis celebravit, ut ex vetustissimo Synodi Codice Bibliothecae Montis Casini, in quo aperte hae leguntur subscriptiones (1).

Pelagius Compsae
Aufridus Cosentias
Caesarius Tarentinus

Eius patriam, parentes, vitae genus, et obitum frustra in tantae vetustatis caligine detegere datum est.

II.

Petrus post longam vigintiquinque supra ducentos annos intercapedinem, quibus, qui sederint Episcopi, ignorantur, Compsanum Pontificem agebat, anno CMLXVIII. (2).

---

(1) Ecclesiasticae Historiae Parens Baronius ad an. 743. in recensione Episcoporum, qui Synodo interfuerunt, detrita, ac deturpata testatur invenisse nomina in pluribus, quae viderat, exemplaribus, sed Casinensi Codex Summo viro non innotuerat.

(2) Huius mentio in antiqua donationis membrana occurrit, quae in Compsano tabulario servatur. Sane de Petri Episcopatu nulla dubitatio; sed membranam ego apogrypham reor. Legitur in ea: *Anno Principatus nostri ego Pandulfus Princeps de Consia, et Rapolla, Magister*, *et Dominator totius terrae de Principatu* cet. *volens pro remissione omnium peccatorum dare Villam de Monticulo Deo, et Monasterio S. Michaelis de Monte vulturano*, cet. *me contuli ad supradictum Sacrum Monasterium cum iudice Ursone de Civitate Consiae, cum Ioanne Castaldo, et Stratigo de ipsa Villa Monticuli* cet. *Abbas congregavit omnes fratres in Ecclesia S. Michaelis coram altare, et in eodem loco discalceavi pedes meos, et ad dictum Altare ascendi, et per unum crinem de capillis meis obtuli Domino Monasterio Villam de Monticulo cum omnibus pertinentiis suis* cet., *et veniens Dom. Abbas nobiscum intus in Civitate Consia, in praesentia Domini Petri Venerabilis Episcopi ipsius Civitatis* cet. *Scripsi ego magister Bonifacius Notarius Domini Principis Pandulfi. Ego Pe-*

*

III.

Leo anno MLXXXI. in Compsana Archiepiscopali Cathedra sedit, Christianos fasces tenente Gregorio VII. Huius memoria in litterato marmore habetur ad Ecclesiam S. Laurentii in Tophara (1), extra moenia Petrae Paganae, altero ferme a Compsa lapide.

---

trus Dei gratia Episcopus Consanus excommunico, et anathematizo omnes homines, qui hanc oblationem voluerint infringere, cet *an. Domini* 967. cet. *Ego Pandulfus Princeps de Consia mea manu signum Crucis feci pro confirmatione de oblatione. Ego Petrus Dei gratia Episcopus Consiae testis sum. Ego Ursus Judex de Civitate Consiae me subscripsi. Ego Leo dominator de Petra Columba, et Iudex de Consia signum crucis feci. Ego Petrus Archipresbyter de Consia feci signum Crucis. Ego Ioannes Castaldo, Stratigo Monticuli testis sum. Ego Mansellus Miles de Monticulo signum Crucis feci. Datum in Civitate Consiae an. Dom. Incarn.* 967. *an. IX. Principatus nostri, mense Maii Ind. X.*

Sed ea aetate tres tantum exstabant Principatus. Capua, Salernum, et Beneventum, et Landulfus nonnisi unius Compsae Princeps erat, non de toto Principatu. Invaluerunt quidem Comites de Principatu, sed Nortmannorum tempore. Accedit, quod Milites, Magistri, Strategi, qui in hac charta memorantur ante Nortmannos non obtinuerint. Miror, haec non adtendisse Clarissimum Assemannium, qui diploma ex Ughellio produxit, genuinumque habuit.

(1) Inscriptio huiusmodi est:

A. D. MILLESIMO CENTESIMO ROBERTI REGIS
ANTISTITIS LEONIS TEMPORIBVS
HAEC ECCLESIA AEDIFICATA FVIT
ABBAS ILLE MONASTERIVM FECIT LAVS
CVIVS EST PROBITATE MINOR DOCTA MANV
MVROS STVDIOSISSIMVS FRANCISCVS ET PAVLVS
FECERVNT MATER DI GRATIA ORA PRO NOBIS

Haud praeteream hanc ipsam epigraphem, perpaucis mutatis, legisse ante hos annos in Ecclesia S. Petri extra moenia Eburi, quam huc adsuere non piget: *Guillelmi Regis Antistitis et Romualdi -- temporibus domus haec aedificata fuit -- Abbas istud opus venerabilis ille Ioannes -- fecit laus cuius est probitate minor -- muros studiosi Bartholomaei -- fecit materiam sed superavit opus -- An. Dom.* MCLIX.

Sed ad Leonem Compsanum redeo, de quo haec in vita S. Nicolai Myrensis ex antiquis actis Mss. translationis eiusdem S. Pontificis: *In que' primi tempi della traslazione del Santo un vecchio di Lombardia di sì fatto modo incurvato verso la terra, che per caminare un poco gli era bisogno servirsi delle ginocchia, e di due zoccoletti di legno sotto le mani; per*

IV.

Malcerius Sacrorum Principatu Compsae potiebatur anno MCII. Inter eos enim recensetur, qui Dedicationi Canusinae S. Sabini Ecclesiae interfuerunt, quam Paschalis II. Pontifex Maximus, rogatu Rogerii Comitis solemni ritu sacravit (1).

---

alcuni anni era stato nella Città di Conza dall'Arcivescovo di quella, detto Leone, mantenuto di limosina per amor di Dio. Di là senza farne parola all'Arcivescovo portossi in Bari per vedere, se coll'ajuto di S. Niccola avesse in qualche modo potuto riavere la sanità. Nè fece il viaggio in vano. Perchè raccomandandosi al Santo si raddrizzò, e restò affatto guarito. E avvenne che essendosi il detto Arcivescovo Leone conferito ancor' egli a Bari con altri molti Prelati per la devozione del sagro corpo, disse un giorno solennemente la messa sulle sagre Reliquie, e senza saper cosa veruna del guarito Lombardo sol vide in fine della Messa venir bello, e baciargli la mano con stupore di tutti quelli, a cui il buon Arcivescovo narrava la lunga infermità, e lo stroppiamento del povero uomo. Vid. Anton. Beatillum. *Hist. S. Nic. Myr. Lib. VI.*

(1) Miror equidem qui factum, ut Malcerium Pontificem in sua serie praetermiserit Ughellius. Hunc primus ego in ordinem adscribo, fide, et auctoritate fretus pervetustae marmoreae tabulae quam anno MDCCC. Pelusium petiturus ad levum altaris cornu in ea legi Basilica, quae haec est: D. O. M *Anno Dominicae Incarnationis MCII. Mensis Septembris indictione decima haec Ecclesia Canusina ad honorem Divi Sabini Confessoris Christi dedicata est ab universali Papa Paschale secundo septimo idus Septembris, et ad hujus S. E. negotium perpetrandum invitati sunt Portuensis Episcopus Beneventanus Archiepiscopus Capuanus Archiepiscopus Salernitanus Archiepiscopus Neapolitanus Archiepiscopus Acheruntinus Archiepiscopus Sypontinus Archiepiscopus Bixantius Tranensis Archiepiscopus Maradus Tarantinus Archiepiscopus Malcerius Compsanus Archiepiscopus Rogerius Cannensis Episcopus Guilielmus Salpitanus Episcopus Mandus Minervinensis Episcopus Gaudinus Murensis Episcopus et Cupersanensis Episcopus verum et plures alii Archiepiscopi Episcopi Abbates et multorum aliorum Clericorum Congregatio copiosa Quapropter quicumque ad ejus dedicationem in illius festivitate annuatim venerint Sciant se de omnibus peccatis quibus Canonice Confessi fuerint quadraginta sex annos, et quadraginta sex quadragesimas sibi relaxari.*

V.

Gregorius Compsae ad Christianum gubernaculum post Malcerium sedit. Inter Patres enim adnumeratur, qui acta Guastallensis Synodi subscripserunt (1), quam Paschalis II. in Langobardia congregavit XI. Kalendas Novembres anni MCVI. Indictione tertia (2).

VI.

Robertus Metropolitanae Ecclesiae Compsanae praefuit anno MCXXIX. Christianam rem publicam moderante Callisto II. Pontifice Maximo. Quo tempore vita excesserit, incertum (3).

---

(1) Guastallensis Concilii fragmentum habes apud Martene *Thesaur. Anecdot. Tom. IV. p. 127. Archiepiscopi, qui interfuerunt hi sunt: Capuanus, Beneventanus, Amalfitanus, Reginus, Ydruntinus, Brundisinus, Consanus, Girontinus, Rosanus.* Vide et Baronium ad hunc annum.

(2) Extat insuper in Compsano tabulario Bulla papyracea exarata anno XCVII. per Gregorium Archiepiscopum, manu Rufi Canonici Compsani, *quod vinea cum oliveto, quae est iuxta Silerem per eum recuperata ab Alferio de Montella habitatore Capitis Sileris teneatur ab eodem Alferio, sua vita durante, et reddat Ecclesiae Compsanae de vino sextam partem, et de oleo quartam, et post eius mortem esset dicta Vinea Venerabilis Ecclesiae Compsanae.*

(3) Hunc etiam ignoravit Ughellius, atque adhuc in tenebris delitesceret, nisi rem duo monumenta testatam fecissent. Diploma in primis proferam Callisti Pontificis datum Laterani tertio Kalendas Apriles, quod in tabulario Compsanae Ecclesiae servatur in haec verba: *Callistus Episcopus servus servorum Dei -- Omnibus fidelibus Ecclesiae salutem, et Apostolicam benedictionem. Quoniam Consanae Ecclesiae desolationem antiquo tempore factam audivimus, et ex parte cognoscimus, eamdem consecrandam a nobis rogati a dilecto filio nostro R. eiusdem Ecclesiae Venerabili Archiepiscopo. Nec non a . . .. Comitissa eiusdem terrae domina fuimus, et . . . esse nequivimus: idcirco ad eiusdem Ecclesiae dignitatem, absolutionem omnium peccatorum, Apostolorum Petri, et Pauli, et nostra auctoritate sancimus omnibus Christianis, qui confessi fuerint, et ibi sepeliri se fecerint. Datum Laterani III. Kal. Aprilis.* Monumentum alterum in tabulario Patrum Casinentium Monasterii Cavensis servatur, Arc. I. Litt. E. num. 15. quod huiusmodi est.

» Ego Robertus Dei gratia Consanae Ecclesiae Archiepiscopus conce-
» do, dono, et Sancto Coenobio Cavensi in honorem Sanctissimae, et In-

VII.

Sanctus Herbertus vir ad omnem pietatem factus, et humilitate, ac patientia insignis divinae providentiae

---

» dividuae Trinitatis constituto, et Domino Simeoni Venerabili Abbati eius-
» dem Loci, eiusque Successoribus Canonice intrantibus pro remedio ani-
» mae meae Ecclesiam Beati Andreae, quae sita est in territorio Olictae
» cum omnibus suis terris cultis, et incultis, atque pertinentiis, quae modo
» possidet, vel possessura est, vel quidquid per eos *datum*, vel *oblatum*,
» aut adiectum tam inter vivos, quam in ultimis voluntatibus fuit in villa-
» nis, vineis, terris, possessionibus, vel quibuslibet aliis rebus, ut ipsi
» libere teneant ex parte nostra, vel successorum nostrorum, et ordina-
» torum praesentium, vel futurorum; excepto quod unam *libram incensi*
» dabunt tantum pro situ ipsius Ecclesiae unoquoque anno pro censu mihi,
» vel Successoribus meis. Sed praefatus Dominus Abbas, ejusque Successo-
» res amodo, et in perpetuum libere, et absolute ab omni iure Episcopali
» dictam Ecclesiam, omnesque eius possessiones *habitas*, et *habendas* te-
» neant, et possideant ab omni nostra, et Successorum nostrorum contra-
» dictione remota. Imo si aliquis voluerit se, et sua in praenominata Ec-
» clesia *offerre*, vel ibidem sepulturam eligere, hoc possit facere sine omni
» tertiaria seu quartaria Episcopali, vel quolibet alio iure. Et haec conces-
» sio, atque donatio facta est communi, et expresso consensu, et consilio
» Capitulari Consanae Ecclesiae. Quicumque ergo huic nostrae Donationi
» contraire quoquo modo voluerit, ex ipso facto, statim anathematis ma-
» ioris excommunicationis gladio feriatur. Item decimam *Roberti Berruarii*
» concedo simili modo eidem Abbati, et Conventui praedicti Monasterii
» Cavensis de Salerno Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo
» vigesimo nono, Indictione septima. Facta sunt haec in perpetuum qui-
» dem servanda, salvo tamen iure aliarum Ecclesiarum. -- Ego Robertus
» Consanus Archiepiscopus me subscripsi -- Ego Marinus Archidiaconus
» Consanus subscripsi -- Ego Janso Canonicus Consanus subscripsi --. Ego
» Urso subscripsi Consanus Canonicus, et consensi -- Ego Rufus Canonicus
» Consanae Ecclesiae subscripsi -- Ego Guisinolfus Canonicus Consanus, et
» Archipresbyter subscripsi -- Ego Rogerius Consanus Primicerius subscri-
» psi -- Ego Laurentius Consanus Canonicus subscripsi -- Locus Sigilli Cerei.

Praeterea, hoc ipso Roberto sedente, nisi quispiam alius illi fuerit suffectus ante Herbertum, Ionathas Compsae Comes, cum Stephania uxore, et filiis Ecclesiam, et Territorium S. Andreae donant anno MCLI. Ecclesiae S. Mariae de Episcopio Compsae. Donationem ex tabularii Compsani membrana huc adponam:

» In Nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis.

» Anno Incarnationis Dominicae, millesimo centesimo sexagesimo primo
» mensis Februarii, Indictione nona. Ego Ionatha Dei gratia Compsiae Comes,
» una cum dilecta mea uxore Stefania, eiusdem gratia Compsiae Comitissa,
» nostrisque dilectis filiis Riccardo, et Goufredo, nulla necessitate coacti,

consilio ad Christi gregem tuendum pontificali potestate Compsam missus est anno reparatae salutis MCLXIX., Alexandro III. ad supremae rei Christianae regimen adsi-

» sed spontanea voluntate, videntes, quod pro temporalibus rebus, quas in » hac fragili vita possidemus, quae fugitivae, et labiles sunt; ideo sponte » dare volumus ad usum ministrorum Dei procul dubio in aeternam re» remunerationis patriam, sacro eloquio testante, qui dixit centuplum ac» cipietis, et vitam aeternam possidebitis; idcirco pro redemptione anima» rum nostrarum, nostrorumque parentum Ecclesiam Sancti Andreae, quae » sita est inter territorium Compsanae Civitatis, et Castri Petraepaganae » cum hominibus habitantibus ibidem, et terris per circuitum eiusdem Ec» clesiae, quas intra fines subscriptos inferius declarabimus, concedimus, » et damus perpetualiter Ecclesiae Sanctae Mariae Episcopati Compsiae, pro » victu Clericorum, qui in eadem Ecclesia Compsana diu, noctuque Deo » serviunt ad laborandum, et serviendum; tali conditione, quod nullus Ar» chiepiscopus hanc nostram donationem de mensa Clericorum alienandi » habeat potestatem. Insuper volumus, quod homines, qui in dicto loco Sancti » Andreae nunc habitant, et habitare voluerint ab omni onere servitutis » sint immunes, et quolibet genere exactionum liberi, et exempti, quas » nos, et nostri liberi, et heredes habere, vel quaerere deberemus ab » eisdem, et si aliquod maleficium, sive malefactum praedicti homines fecerint, » seu offensam non a nobis, vel officialibus nostris, sed a Pastoribus, et » clericis Ecclesiae Compsiae compellantur, quaerentibus facere rationem, et » de eorum culpis, et delictis iudicentur per eosdem. Si vineas, hortos, domos, » aliaque aedificia infra praefatam terram aedificare voluerint, potestatem » faciendi secundum iussionem Pastoris, et voluntatem Clericorum Com» psanae Ecclesiae firmiter, et libere habeant, et perpetualiter possideant. » Itaque a nemine nullam aliquam habeant contrarietatem; Pascuis vero, » aquis, lignis cum caeteris nostris hominibus Civitatis Compsiae, et Pe» traepaganae absque damno communiter fruantur, et habeant, et ut prae» dicta nostra donatio pro redemptione animarum nostrarum, nostrorumque » parentum saluberrime fiat; aquam, quae oritur infra fines subscriptos cum » forma, et cursu damus, et inviolabiliter concedimus Sanctae Ecclesiae » suprascriptae libere, et absolute, nulla nobis in praedicta aqua conditione » reservata, sed volumus, quod ipsa Ecclesia Compsana molendina facere, » et aedificare in ea possit; et ad alios usus eam trahere iusta velle, et » nullus alius in cursu eiusdem aquae, et formae molendina facere pos» sit, nec de ea terras adaquare, vel ad alias partes eam trahere sine vo» luntate Pastoris, et Clericorum Ecclesiae Compsanae. Hi autem sunt fi» nes terrarum Ecclesiae supradictae: Incipit in primis a parte orientis in » forma Sancti Andreae, ubi oritur aqua vadit per caput vineae de pe» scaria, et pergit ad locum, qui dicitur la strazzara, et vadit ad cursum » parvum, et deinde vadit ad lapidem de angri folin, et pergit recto tra» mite usque ad locum, qui dicitur Tracturus, et descendendo descendit ad » Vallonem Martini Vaccarii, et intrat in via, quae vadit ad arsam, ubi

dente (1). Decennio exacto, multisque exantlatis in custodienda, excolendaque Domini vinea, laboribus, cum suis

---

» est molendinum Archiepiscopatus Compsae, et transit per arsam, ad viam, » quae vadit ad Sanctum Laurentium, et deinde vadit ad vallonem, qui » descendit de aqua viva, ubi iunguntur duo rivuli, et postea ascendendo » per eius vallonem ascendit ad serram usque ad praedictam formam, ubi » prius incoepimus, et ut nostra donatio, et concessio robur obtineat, et » perpetuam firmitatem praesens scriptum fieri fecimus per manus Gof» fredi nostri Notarii, et sigillo nostro proprio sigillatum. Hoc est signum » propriae manus Domini Comitis Ionathae. Hoc est signum Gualterii Fol» livillae. Signum Crucis propriae manus Iurdani Follivillae. Signum Cru» cis Domini Riccardi, Filii comitis. Signum Crucis manu Domini Gof» fredi Filii comitis.

(1) Pervetustum Consecrationis diploma in tabulario Compsanae Ecclesiae servatur, quod ad memoriae perennitatem marmori intra Cathedralem Basilicam est inscriptum: *Anno Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo sexagesimo nono indictione secunda dedicatum est hoc templum in honorem Sancti Martini Confessoris iussu Domini Herberti Compsanae Ecclesiae et totius Compsani Capituli a Roberto Muranensis Ecclesiae Antistite de reliquiis S. Mennae, S. Martini, S. Liborii, Vitaliani, et Anastasii Confessorum.* Castigandus heic Ughellius, qui ad Muranae Cathedralis Ecclesiae Consecrationem id retulit monumentum. Mitto quod in tabulario Compsano, non Murano religiose custoditur autographum; profecto autem si de Murana Ecclesia res fuisset, nec Archiepiscopi Compsani iussum necessum erat, nec Capituli Compsani cura qualiscumque. Nec satis video, cur P. Alexander de Meo *Annal. della mezzana età* hariolando potius id diploma ad Ecclesiam S. Martini de Silere in Dioecesi Compsana pertinere, non alio nomine autumavit, quam quod Compsana, et Murana Basilica in Matris Dei in Caelum adsumptae, non vero in S. Martini honorem sacrae sint. Recte quidem: immo id ex ipsa Ionathae donatione, quam paullo ante produximus, perspicue patet. Sed praeterfugerat Historici mentem insigne Templum S. Martini de Compsa, quo vi terraemotus collapso, fundi sunt Archiepiscopali Mensae adtributi, et adhuc nunc *Decimae S. Martini* nuncupantur, quae Mensae solvuntur.

Exstat insuper in Compsano archivio membrana anni MCLXIX. qua *Robertus Comes Palatinus, Comes Torocelli, et Cupersani, et Dominus Civitatis Lavelli cet. pro redemptione animarum dominorum Rogerii, et Guglielmi gloriosissimorum Regum, et Dominae Alviliae nobilissimae Reginae, et domini ducis Rogerii cet. concedit Herberto Venerabili Consano Archiepiscopo, et Ecclesiae Consanae in perpetuum, ut omnia animalia dictae Ecclesiae tunc temporis, et in futurum sine affidatura, et exactione aliqua possint uti aquis, et pascuis in tenimento Lavelli.* Membranam alteram in eodem tabulario legi exaratam anno MCLXXVIII. qua continetur *restitutio Ecclesiae Sanctae Mariae de Auletta cum omnibus pertinentiis, et iuribus suis, facta per Paganum Senescalcum Camere, de ordine Regis Siciliae, Herberto Venerabili Archiepiscopo Consano.*

suffraganeis Ioanne Episcopo S. Angeli (1), Richardo Bisaciensi, Angelo Laquedoniensi, Nicolao Montis Viridis, et Petro Satrianensi, Oecumenico Concilio interfuit, quod idem Pontifex in Lateranum Mense Martio anni MCLXXIX. Indictione XII. vocavit. Diu Compsanam Ecclesiam gubernavit, officiique pastoralis partes omnes abunde adeo implevit, ut non minorem prudentiae, diligentiae, et adsiduitatis, quam religionis, et sanctitatis gloriam promeruerit. In Sacrorum disciplina continenda, et commissi gregis moribus emendandis illud in primis tenuit, ut nihil praeciperet aliis, quod ante sibi non imperasset, nihil in aliorum exigeret vita, quod non eluceret in sua. Christianam plebem Verbi Dei pabulo alere numquam destitit, et non quidem facultate dicendi, sed simplicitate orationis, et in quo sita omnis persuadendi vis est, innocentiae, atque sanctitatis opinione. Quare omnium animos arcte adeo sibi devinxit, ut quo vellet facile eos impelleret. Porro in officia charitatis prolixius incubuit, domumque suam cunctis semper accessu facilem voluit, egentibus praesertim, et adflictis, quibus certum in eo erat subsidium, et solamen. Abstinentia vero tanta usus est, ut corpus ad laborem sustentare magis, quam alere videretur. Tandem annorum iuxta ac meritorum plenus, dissolvi iam cupiens, et esse cum Christo, quo die mortem ipse erat obiturus, divino instinctu admonitus, Cathedralem Ecclesiam ingressus est, ubi caelestium rerum contemplationi intentus placide in Domino obdormivit sub exitum anni MCLXXXI. miraculis ante, et post mortem clarus. Eius corpus, marmorea inclusum arca (2), in eadem Ecclesia colitur, festusque

(1) Perperam Ughellius in Serie Episcoporum S. Angeli Langobardorum Thomam adpellat Sanctangelensem Episcopum, qui Lateranensi Concilio interfuit. Certe in Concilii subscriptionibus *Ioannes Sancti Angeli* legitur.

(2) Decimo Kalendas Apriles anni MDCCLXXXIV. Praedecessor noster Caietanus Caracciolus marmoreum repositorium, in quo Beatissimi Herberti mortales condebantur exsuviae, ex abdito loco ad summam aram sub mensa

dies XIII. Kal. Septembres (1); eo frequentissimo populi concursu, ex finitimis etiam Provinciis ad haec usque tempora agitur, quo fuit elatum.

VIII.

GERVASIUS in Archiepiscopali Cathedra S. Herberto subrogatus est an. MCLXXXIV. Lucio III. Pontifice Maximo (2).

---

transferrendum curavit. Quumque pro sua religione Sacrum Corpus recognovisset, testatum reliquit, se Pontificis depositum invenisse cum suis infulis Pontificalibus, annulo aureo, Pallio, et pastorali baculo ex ligno durissimo, atque annulum tantum, et ossicula quaedam ex arca extraxisse, ut publicae venerationi paterent.

(1) Exstat in bibliotheca Vaticana Martyrologium quoddam Sanctorum extravagantium, in quo: *Decimo tertio Kalendas Septembres Compsae in Hirpinis S. Herberti eiusdem Urbis Episcopi.* Porro Ferrarius in *Catalogo Sanctorum, qui in martyrologio non sunt descripti* S. Herbertum ex incolarum traditione Hirpinum fuisse refert. Cui facile adsentior, multi enim Hereberti, et Herekberti per hanc aetatem in nostra hac regione invaluerunt. Quod vero anglum natione fuisse aiunt nonnulli, omnino inter fabulas amandandum. Fabulae origo orta ex infaceta Ioannis Pitsei *de Script. Angliae* narratione, qui quemdam Herebertum Horeschamum somniavit, qui in Italiam profectus, Archiepiscopus Cusentinus factus est, et eo ipso anno, quo Cathedram conscenderat, una cum domo sua, et tota civitate, dehiscente terra, absorptus est an. MCLXXXV. Tot fabulae, quot verba. Nam Archiepiscopus Cusentinus, qui ex terraemotu occubuit, non Herebertus sed Rufus vocabatur, ut ex Anonymo Casinensi in Chronico: *Anno* 1184. *Nono Kal. Iunii terraemotus adeo magnus, et terribilis fuit per totam Calabriam in valle de Grati, et vallem de sinu Ecclesiae omnem, et omnia aedificia murorum corruerunt, et Rufus Cusentinus Archiepiscopus, et multi alii sub murorum praecipitio suffocati sunt.* Addam hoc insuper, Rufum istum Archiepiscopum Cusentinum, ante hos quinque annos, nimirum an. MCLXXIX. una cum Herberto Archiepiscopo Compsano Lateranensi Concilio interfuisse, ut ex Concilii subscriptionibus.

(2) Membrana habetur in Tabulario Compsano, qua Gervasius Archiepiscopus facultatem dilecto filio Rogerio de Laviano concedit anno MCLXXXIV. ut Ecclesiam S. Mariae, et omnium Sanctorum construere possit in terra Laviani, et reddat Ecclesiae Compsanae libras cerae quinque quolibet anno, in die adsumptionis Beatae Mariae Virginis. Chartam alteram in eodem tabulario legi, qua Gervasius idem anno MCLXXXVII. Ecclesiam S. Ioannis de Oliveto Abbati S. Luciae concedit sub annuo censu. Instrumentum praeterea anni MCXCII. ibidem exstat, quo continetur oblatio facta per Focum, filium quondam Presbyteri Migerii, Ecclesiae Sanctae Mariae

*

IX.

PANTALEO Compsani Archiepiscopatus Solium conscendit anno MCC. Innocentio III. Romanam Cathedram tenente. Insigne diploma a Pontifice Maximo accepit (1)

---

de Anlecta, qui dedit *quamdam terram ubi Privitti dicitur iuxta fines: ab oriente, Terra, quae fuit Dominae Meniae, Terra illorum de Depanto, et ab occidente Terra Sanctae Mariae, ea, quae fuit de Donato; et aliorum.*

(1) » Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri » Pantaleoni Ecclesiae Compsanae Archiepiscopo, eiusdemque successoribus » canonica instituendis in perpetuum.

» In eminenti Apostolicae Sedis specula, disponente Domino, constituti, » fratres nostros Episcopos tam vicinos, quam longe positos fraterna debemus charitate diligere, et Ecclesiis sibi a Domino concessis paterna sollicitudine providere. Ea propter, venerabilis in Christo Pantaleo » Archiepiscope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatam Compsanam Ecclesiam, cui auctore Deo praeesse dignosceris, ad » exemplar felicis recordationis Alexandri, et Lucii Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sub Beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesenti scripto privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum » iuste, et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis iustis causis, praestante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, » et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Abbatiam S. Laurentii de Tophara, Abbatiam S. Mariae Magdalenae cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Angeli in Murico, » Ecclesiam S. Andreae, et S. Mennae, Ecclesiam S. Martini de Silere, » Ecclesiam S. Mariae de Silere, Ecclesiam S. Mariae de Oliveto, et S. Nicolai de fabrica, Ecclesiam S. Luciae de Capite Sileris, Ecclesiam S. Petri de Pistiniano, Ecclesiam S. Salvatoris, Ecclesiam S. Angeli in Monte » Nigro, Ecclesiam S. Petri de venatore, Ecclesiam S. Mariae de Spelunca, » Ecclesiam S. Ioannis inter duo flumina, Ecclesiam S. Mariae in terra » Victimosa, et S. Mauri, Ecclesiam S. Spiritus, Ecclesiam S. Nicolai de » Culiano, Ecclesiam S. Nicolai de Palatio, Ecclesiam S. Ioannis de Ceroso, Ecclesiam S. Nicolai de Ciriolo cum omnibus earum pertinentiis, » et Terram de Sardo, quae est dimensa, Cisternam, Cirrutulum, Castellum » de Comitissa, Calatrum, Carpanum, Lormaro, et Turricellam, Castellion » de Murra, Maurellum, Petrampaganam, Castellum novum, Maliuventre, » Tugurium Biarum, Caput Sileris, Calabretum, Senerchiam, Quagliettam, Olivetum, Lavianum, Bulvam, Culianum, Palmo, S. Nicandrum, » Contursium, Puleinum, Aulettam, Salvitellam, et Vetrum cum omnibus » earum pertinentiis, Ecclesiam S. Mariae de Pasano, S. Agathae, S. Gregorii, S. Nicolai de Erinio Calabretti, S. Mariam de Grensi, S. Ange-

quo bona omnia Archiepiscopalis Mensae recensentur, et confirmantur, quod summa diligentia in tabulario Com-

---

» lum Castellionis, S. Petrum de insula, S. Aegidium Castellionis, S. Mariam de Sanctis, S. Antoninum Petraepaganae, Ecclesiam S. Thomae de Culiano. Episcopatus quoque inferius adnotatos Ecclesiae tuae metropolitico iure subiectos, tibi, tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet S. Angeli de Lombardis, Bisacien, Laquedon, Montis viridis, Muran, et Satrian. Pallium etiam, scilicet Pontificalis officii plenitudinem fraternitati tuae duximus concedendum, quo infra Ecclesiam tuam inter Missarum solemnia subscriptis diebus uti debeas, videlicet in Nativitate Domini, festo S. Stephani, Octava Dominicae Nativitatis, Epiphania, et Dominica in ramis palmarum, Coena Domini, Sabbato Sancto, Pascha, et duobus diebus sequentibus, Ascensione, Pentecosten, tribus festivitatibus Dei Genitricis semperque Virginis Mariae, Natalitio B. Ioannis Baptistae, Commemoratione omnium Sanctorum, Solemnitatibus omnium Apostolorum, Dedicationibus Ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus Clericorum, Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, et anniversario tuae Consecrationis die. Provideas igitur quomodo hujus indumenti honor cum modesta actuum vivacitate servetur, ut et morum tuorum ornamenta conveniant, et esse valeas plus bonis actibus, quam huiusmodi ornamento, auctore Deo, conspicuus. Et quod pastoralis curae contingit officium, dilectionem proberis fratribus exhibere, ut in humilitatis virtute fundatus non eleveris prosperis, nec frangaris adversis. Ipsi etiam adversarii propter mandatum Dominicum tuo circa te copulentur affectu, Et quantum in te est, pacem habeto cum omnibus, et ad pacem studeto reducere discordantes, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale iudicium cum superhumerali actione coniunctum. Et ita in conspectu Dei procedas, et hominum; quatenus commisso tibi gregi Dominico virtutis praestes exemplum, ut videntes opera tua bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est, et gaudeant talem rectorem habere, per quem erudiantur ad fidem, et ad recta opera provocentur In omnibus etiam, quae officio tuo conveniunt, ita te exhibeas circumspectum, qui gloriam sempiternam adquirere possis in Coelis. Ad haec auctoritate Apostolica duximus inhibendum, ne quisquam post decessum tuum, vel tuorum quorumlibet Successorum alicuius obtentu consuetudinis res saeculares, aut Ecclesiasticas capere, vel ausu temerario audeat retinere, sed futuro Praelato integre conserventur. Prohibentes etiam ne interdictos, vel excommunicatos tuos ad officium, seu communionem Ecclesiasticam sine scientia, aut consensu tuo quisque admittat, seu contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire praesumat, nisi periculum mortis immineat, ut cum praesentiam tuam habere nequiverint, per alium oporteat ligatum absolvi. Statuimus insuper, ut cum Parochiani tui apud loca religiosa elegerint sepulturam, tibi, et Ecclesiae tuae canonica quarta scilicet testamentorum portio reservetur. Praesenti quoque pagina duximus stu-

psano custoditur. Multa de hoc Archiepiscopo circumferuntur, quae illius integritatem, ac vigilantiam commendant.

» dendum, ne Monachi, aut Canonici, seu quilibet alii Clerici, vel Laici
» in Ecclesiis ad tuam dioecesim pertinentibus sine tua auctoritate vel re-
» movere audeant, vel instituere Cappellanos, nec Ecclesiam vel Oratorium
» infra metas tuae Parochiae fabricare, nisi forte privilegiis Romanorum
» Pontificum muniantur. Ecclesias insuper., vel Ecclesiastica beneficia nul-
» lus haereditario iure possideat, quod si quis hoc facere forte contende-
» rit, censura canonica compescatur. Prohibemus praeterea, ne quis Co-
» mitum; vel Baronum ad Comitatum Compsanum quomodolibet pertinen-
» tium contra immunitatem Ecclesiae tuae Regia liberalitate collatam an-
» te, vel successorum tuorum securitatis, vel loci exigat iuramentum; li-
» bertates, et immunitates Ecclesiae tuae pia consideratione indultas, et anti-
» quas rationabiles consuetudines hactenus conservatas integras permanere
» sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit praedictam
» Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas
» retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia in-
» tegra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione
» concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae aucto-
» ritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, saecularisque persona hanc
» nostrae constitutionis paginam scienter contra eam temere venire tenta-
» verit, et secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua sa-
» tisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, ream-
» que se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a
» sacratissimo corpore, et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri
» Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni su-
» biiciat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini
» nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant,
» et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.
» Ego Innocentius Cath. Ecclesiae Episcopus -- Ego Petrus Portuen. S. Ru-
» finae Episcopus -- Ego Ioannes Episcopus Albanensis -- Ego Guido Prae-
» nestinus Episcopus -- Ego Paudolfus XII. Apostolorum Presbyt. Card. --
» Ego Petrus tit. S. Ceciliae Presbyt. Card -- Ego Iordanus S. Puden. tit.
» Pastoris Presb. Card. -- Ego Ioannes tit. S. Stephani in Coelio monte
» Presb. Card. -- Ego Goffredus tit. S. Praxedis Presb. Card. -- Ego Ber-
» nardus S. Petri ad vincula Presb. Card. tit. Eudoxiae -- Ego Gregorius
» S. Mariae in porticu Diac. Card -- Ego Gregorius S Georgii Diac. Card.
» ad velum Aureum -- Ego Petrus S. Mariae in Vialata Diac. Card. --
» Ego Gregorius S. Eustachii Card. Diac. -- Ego Benedictus S. Mariae in
» Dominica Diac. Card. -- Ego Matthaeus S. Theodori Diac. Card -- Ego
» Ioannes S. Rom. Eccl. Diaconus Card. -- Datum Lateran. per manum
» Blasii S. R. E. Subdiaconi, et Notarii III. Idus Novembris Indict. IV.
» Incarnationis Dominicae anno MCC. Pontificatus vero Domini Innocentii
» Papae tertii anno tertio.

Membranam alteram eiusdem anni MCC. in eodem tabulario exstat, qua Presbyteri Robertus, et Guillelmus obtulerunt, et dederunt Ecclesiae

Quo anno e vita excesserit, incertum. Exploratum attamen est, anno MCCXXII. adhuc in terris egisse (1).

X.

ANDREAS ex actis Vaticani Praepositum Ecclesiae S. Mariae Novae Canonicorum Regularium Romae agebat anno MCCXXV, quo ad Metropolitanam Ecclesiam regendam ab Honorio III. Pontifice Maximo Compsam est accersitus. Diu demandatam Provinciam summa cum laude curavit (2).

Sanctae Mariae Maioris de Aulecta nonnulla bona stabilia, et Pantaleo Archiepiscopus Compsanus eorum vita durante concessit eis domos pro eorum habitatione iuxta praedictam Ecclesiam.

Habetur praeterea ibidem instrumentum anni MCCIX. quo Tracirius de Bisanto Dominus Montis Viridis una cum coniuge Magdala *concedit, donat, et confirmat Ecclesiae Sanctae Veneris sitae in territorio Cisternae totum, et integrum tenimentum, quod fuit Sancti Lazari de Melfia et aliud tenimentum in territorio dictae Cisternae situm, iis finibus circumdatum. Primus finis incipit a monte, qui dicitur Palus Rotundus, et descendit per serram in terram olim Caralellae, et inde descendit in Pretam de Muris, et descendendo vadit per serram usque ad aquam Aufidi in fronte cuiusdam Ricci, qui dicitur Vulia, deinde descendit per ipsum flumen Aufidi usque ad Pretam de Termite, et deinde descendit per serram, et perducitur ad fontem Romati, et deinde vadit ad fontem de Ulmo, et per serram revertitur ad primum finem, hoc itaque tenimentum praedictis finibus designatum pro redemptione peccatorum tam praedecessorum, quam nostrorum, et successorum nostrorum praedictae Ecclesiae S. Veneris concedimus cet.*

(1) » Hoc enim anno habetur in tabulario Compsano concordia Pan-
» taleonis Venerabilis Archiepiscopi Compsani cum Galino milite cum
» consensu Sibiliae suae uxoris de molendino in Iscla S. Laurentii de Col-
» liano pro Ecclesia Compsana, et concordia cum Gulielmo de Sancto
» Germano milite successore praedicti Galini cum consensu Titiae suae
» uxoris, qui dedit Ecclesiae Compsanae non solum praedicta, sed etiam
» cursum aquarum ad molendinum, et viam duodecim palmorum, et to-
» tam terram, quae est sub cursu ipsius aquae, et casalenum, quod est
» ante Ecclesiam S. Petri de Colliano.

(2) In Archiepiscopali tabulario membrana servatur Confirmationis *territorii Ecclesiae S. Veneris, per Dominum Henricum de Caprosia Dominum Rapollae et Cisternae, ac Baronem Baroniae Terrae Balbani factae Venerabili Andreae Archiepiscopo Consiae anno MCCXXVII.*

Instrumentum etiam ibidem legi oblationis factae anno MCCXXVII. *per Gilibertum magistri Blasii, et Mauriliae uxoris de Civitate Compsa de se*

XIII.

Marcus Andreas de Alberto in Compsana Cathedra Iacobo successit. Gravissimum auctorem habemus Gregorium X. Pontificem Maximum, qui Lugduni xv. Kal. Septembres an. MCCLXXIV. sui Pontificatus tertio, Archiepiscopo Campano commisit, ut modo illum canonice electum compererit, Apostolica auctoritate confirmaret. Ab hominibus demigravit an. MCCLXXVIII.

XIV.

Stephanus de Oringo in Vindobonensi Monasterio sacramento Cisterciensium obstrictus tenebatur, quum Archiepiscopus Compsanus est renunciatus an. MCCLXXVIII. Muneris vix nuntio accepto, onus sponte sua in manibus Nicolai III. Pontificis Maximi deposuit.

XV.

Laurentius Blunmius, domo Tuderti, ex Ordine Praedicatorum in Pontificalem Sedem Compsanam receptus est idibus Junii an. MCCLXXVIII. Nicolao III. Pontifice Maximo. Vir summi ingenii, et subactae virtutis, magna, et eximia de se pollicebatur, sed mors illum quarto sacrae gubernationis anno e numero viventium eripuit.

XVI.

Adenulphus ab Archiepiscopali Cathedra Brundusina ad Compsanam transiit Kal. Octobris anno MCCXCVI. Pontificis Maximi Bonifacii VIII. iudicio. Procedente quarto sui regiminis anno, eiusdem Pontificis auctoritate ad Beneventanam Ecclesiam moderandam commigravit.

XVII.

Consilius Gattus, illustri genere Viterbii ortus, Dominicanae familiae nomen dederat. Ingenio excellenti, doctrina, et eloquentia pari Romae magnam sibi comparavit celebritatem. A Martino IV. Pontifice Maximo, cui a sacris Confessionibus aderat, Archiepiscopatu Arborensi in Sardinia est initiatus. Ecclesiam vix amplexus, VII. Kal. Februarias eiusdem anni MCCCI. Compsanam Cathedram conscendere iussus est (1). Viterbii in patria Spiritum Creatori reddidit, et in Ecclesia S. Mariae ad gradus, ubi religionis primum posuit tyrocinium, mortales exuvias deposuit anno MCCCVIII. (2).

XVIII.

Leo de Monticulo, posthabito Francisco Episcopo Caietano, quem Capituli pars elegerat, a Canonicatu Compsano ad Archiepiscopalem Cathedram iussu Ioannis XXIII. Pontificis maximi adscendit III. Kal. Martias an. MCCCXXVII. inauguratus a Cardinali Bertrando Episcopo Tusculano. Vir ingentis animi, et propositi tenax, quamplura iustitiae, et fortitudinis, et diligentiae in tutandis Ecclesiae rebus

---

(1) Stipulatio habetur in tabulario Compsano die XXII. Februarii anni MCCCIV. Indictione II. qua *Thomasius filius Simeonis de Consa in perpetuum vendit et tradit Reverendo et Religioso viro fratri Thomae Venerabilis fratris Consilii Consani Archiepiscopi Vicario generali vice, et nomine ipsius dicti Archiepiscopi suorumque successorum dictae Consanae Ecclesiae partem quarumdam terrarum, quam habet pro indivisa cum domino Petro milite de Consa, positarum in pertinentiis dictae Civitatis Consae in Plano Campi iuxta rem Torri magli, iuxta fossatum Arsae, iuxta rem Ecclesiae S. Antonii, iuxta vallonem Petrae Paganae, et alios fines.*

(2) Haec Consilii tumulo sunt inscripta: *Frater Consilius Gattus Viterbiensis ordinis Praed. Martini IV. Capellanus et Poenitentiarius, Archiepiscopus Arborensis et Consensis ac Sacelli Sancti Pauli in conventu fundator Hic iacet. anno M. CCC. VIII.*

edidit specimina (1). A bonis omnibus deploratus finivit anno MCCCXXXIII. Corpus in mortalitatis domum intra Cathedralem Ecclesiam inlatum.

XIX.

PETRUS Archidiaconatum Ecclesiae occupabat, quum ad supremam eiusdem Ecclesiae dignitatem est evectus III. Kalendas Novembres MCCCXXXIII. Joanne XXII. Pontifice Maximo (2).

---

(1) Habetur huius Archiepiscopi mentio in Instrumento anni MCCCXXIX. die XVIII. Aprilis, quo possessionis actus continetur domus, et vineae, ac horti Abbatis Dionysii Valva Canonici Consani per Venerabilem dominum Leonem Archiepiscopum Consanum, mediante persona Venerabilis Petri Brancatii civitatis Neapolis, legum professoris, et Archidiaconi Consani, ad hoc procuratoris constituti, *ex quo dictus Abbas Dionysius, sede vacante, tempore sui Vicariatus, multa tamquam ipsius procurator exegerat, et non habens unde redderet, dicta sua bona dedit pro satisfactione. Fines domorum, et horti sunt: a parte orientis via publica, et domus Donnae Gemmae: a parte meridiei domus haeredum quondam Nicolai de Malgerio, et via publica: a parte Septentrionis hortus haeredum quondam Guglielmi Vituli, et domus Presbyteri Romani. Fines vineae: ab oriente via publica, ab occidente vinea Magistri Palermi de Sabino, Vinea Guglielmi dicti Negri, et Vinea Gibbonis de Gentile: A meridie Vinea quondam Mercurii et haeredum Palermi dicti Inglommora: A Septentrione terra vacua laboratoria Benedicti Buraynae. A tum Valvae in domo praedicti Dionysii in praesentia dicti Leonis Archiepiscopi Consani.*

Exstat praeterea membrana altera excommunicationis a venerabili Leone Archiepiscopo Consano anno Dom. 1332 in Archiepiscopali domo *casalis S. Mauri juxta Pulcinum contra Rogerium Baronem Oliveti occupantem vassalagium S. Mariae de foris spectantem ad Ecclesiam Consanam.*

Nec praetermittenda declaratio anni 1330, qua *Abbas Nicolaus de Alitto Primicerius terrae Eboli asserit tenuisse, et tenere nomine Ecclesiae Consanae quasdam domos soleratas sitas intus terram Eboli in Parochia S. Nicolai juxta bona haeredum quondam Magistri Petri de Umbina juxta fines Sirecule comunis, et vias publicas, quas domos promisit infra duodecim dies disbrigare, et consignare Vicario generali Reverendiss. Leonis Archiepiscopi Consani.*

(2) Memoratur in epigraphe aeris campani in turri Cathedralis Ecclesiae: *Hanc Campanam construi fecit Dominus Petrus Dei gratia Archiepiscopus Compsanus anno Dom. MCCCXXXIII. mentem sanctam spontaneam honorem Deo patriae liberacionem. Amen. Deo gratias.*

Contractus insuper tabula in Archivio servatur, exarata an. MCCCXXXIV.

XX.

Laurentius ab suffraganea S. Angeli Langobardorum Sede ad Metropolitanam transiit III. Idus Decembres an. MCCCXLVI. E vita abiit Compsae an. MCCCXLIX.

XXI.

Raymundus Archiepiscopus Compsanus an. MCCCL. (1).

---

qua *Angelus Primicerius Ecclesiae Pulcini de speciali mandato Petri venerabilis Archiepiscopi Consani permutat domos Ecclesiae Consanae sitas intus terram Eboli in Parochia Sancti Nicolai cum Petrello Armono de Contursio, cum duobus olivetis centum et sex arborum olearum. Primum est in loco ubi dicitur li Tofari, iuxta territorium S. Ioannis de subtus, versus flumen Sileris, iuxta S. Eliam, iuxta vallonem Sanctae Mariae de super, iuxta olivetum Domini Roberti de Sancto Severino ipsius terrae Contursii Domini, et olivetum Ioannis Pignatarii, et ab alio latere iuxta terram ipsius Domini Roberti. Aliud olivetum est in loco ubi dicitur Gurguta cum tota terra vacua in latitudine iuxta viam publicam, superius iuxta olivetum nobilis viri Gradilonis dicti Iolbe de Bilba, iuxta vallonem, qui descendit de fonte S. Mariae, et iuxta olivas ipsius Petrelli.*

Interfuit sequenti anno MCCCXL. consecrationi Ecclesiae S. Clarae Neapoli, ut ex inscriptione ad turrim Campanariam eiusdem Ecclesiae:

Anno sub Domini milleno Virgine nati
Et tricenteno coniuncto cum quadrageno
Octavo cursu currens indictio stabat
Praelati multi sacraverunt hic numerati
G. pius hoc sacrat Brundusy Metropolita
R. que Bari Praesul B. Sacrat et ipse Tranensis
L. dedit Amalpha dignum dans Compsia Petrum
P. que maris Castrum Vicus G. datque Miletum
G. Boianum Murum fert H. venerandum.

Demum valetudine adfectus, quum Puteolos ad sudatorium consilio medicorum divertisset, ibi reassumendum curavit instrumentum donationis factae a Tragirio Bisante Ecclesiae S. Veneris, de territorio in terra Cisternae in forma authentica.

(1) Hic etiam in Ughelliana serie desideratur. Atque adhuc in temporum caligine delitesceret, nisi in tabulario Compsano diploma exstaret, quo Raymundus Archiepiscopus hoc anno *Vassallis Sancti Mannai terras incultas concedit, ut respondeant de decima* Territorium id saeculo X. iuris erat Casinensium Monasterii (quod eo prorsus loco positum erat, ubi S. Menna Eremiticam vitam degebat, de quo vide Martyrolog. Rom. die XI. Nov. et S. Gregorium Magnum lib. III. Dialog. cap. XXVI.) Exstat in eodem

XXII.

PHILIPPUS Archiepiscopus Thebanus, suorum laborum, suaeque virtutis praemium, Compsanum Archiepiscopatum reportavit XV. Kal. Iulii an. MCCCLI. Clementis sexti anno X. E vitae fluctibus emersit anno MCCCLIX.

XXIII.

BARTHOLOMAEUS DE VALENTIA, variis Romae perfunctus muneribus, Pontificales Compsae induit ornatus postridie Kal. Iunias anni MCCCLIX. Sedit annos P. M. triginta. E vivis ereptus, Bonifacii IX. pontificatus anno primo (1).

XXIV.

AMELIUS DE ALNETO, Priori dignitate in Collegiali Ecclesia S. Ioannis de mare Caietanae dioecesis enitebat, quum sacram habere dominationem Compsae iussus est XVII. Kal. Apriles an. MCCCXC. Sedit in tanta Regni rerum turbatione vario eventu plures annos, ac memoriae proditum, aemulum habuisse Nicolaum quemdam, qui in

---

tabulario stipulatio authentica emptionis territorii Sancti Mauoai, facta per Ioanuem Abbatem Monasterii S. Mauoai, ubi dicitur a Cesanu, *a Guisinulpho, et Alferio Gastaldis, filiis Siconis Gastaldi habitatoris civitatis Consiae anno XIII. Domini Guaimarii Principis.* Sequiori aetate bellorum incursionibus, Monasterio deleto, illius possessionem Apostolicae Sedis auctoritate cepit Archiepiscopus. Vid. inferius.

(1) Triennio antequam e vita excesserit, ex temporum historia habemus, Episcopalem Muranae Ecclesiae Cathedram Volceium (*Buccino*) in Compsana dioecesi translatam. Diro enim post Gregorii IX. obitum gliscente schismate inter Urbanum VI. et Clementem VII. Antonius Muranorum Episcopus, quum partes tenuisset Clementis Pseudopontificis, et Ludovici Andegavensis contra Carolum de Dyrrachio, Murana civitas, quae aeque Clementi et Carolo studebat, Episcopalis Cathedrae honore privata est, et Moranus Episcopus una cum sua dioecesi in civitatem Vulceianam est translatus. In actis Vaticani diploma habetur datum Avenione kal. Iulii Pontificatus anno VIII *Clemens Episcopus servus servorum Dei -- Venerabili fratri Antonio Episcopo Polsinensi salutem, et Apostolicam benedictionem. Inter solicitudines* cet.

eam se intruserat sedem. Hunc Ladislaus Rex ad Hungariae Regnum capessendum profectus anno MCCCCIV. Regni Vicarium una cum Leonardo de Afflictis constituit. Iterumque ad Etruriae bellum discedens VI. Kal. Apriles an. MCCCCVIII. Regni gubernatorem reliquit cum Gaurello Aurilia Regni Logotheta, Leonardo de Afflicto, et Francisco Dentice. Praeterea eumdem Gregorius XII. Pontifex Maximus anno MCCCCXII. Commissarium delegit Apostolicum cum Nicolao de Diano Neapolitani Archiepiscopatus administratore, et Francisco Episcopo Melitensi (1).

XXV.

NICOLAUS Compsanam sedem ingressus est, Martino V. Pontifice Maximo, a quo mox inter Rossanenses Archiepiscopos adscitus Idibus Iuniis anni MCCCCXXII.

XXVI.

GASPAR DE DIANO, nobili genere Theani natus, primum Theanensis Episcopus renunciatus est, sed ob temporum difficultates consecrationis munus non dum acceperat, quum a Martino V. Pontifice Maximo ad rei Christianae clavum Compsae sedere iussus est XIII. Kal. Iunias anni MCCCCXXII. Sexdecim annis summa cum laude Ecclesiam gubernavit, magnumque sui desiderium Compsae reliquit, ad Neapolitanam Cathedram ab Eugenio IV. translatus VII. Kal. Martias anni MCCCCXXXVIII.

---

(1) Habetur de hoc Archiepiscopo charta concessionis Ecclesiae S. Zaccariae de Oliveto de iure Mensae Archiepiscopalis, *factae a Mello Archiepiscopo Consano domino Petro Antonio de Tuferio terrae Oliveti sua vita durante, quo defuncto rediret ad Ecclesiam Consanam.*

XXVII.

LATINUS URSINIUS Romanus, creatus Archiepiscopus Compsanus ab Eugenio VI. Idibus Martiis an. MCCCCXXXVIII. Anno exacto, Tranensem Ecclesiam administrandam suscepit, et a Nicolao V. Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis renunciatus.

XXVIII.

RAYMUNDUS DE STRONGULO, Calaber, vir graece, latineque doctissimus, penitioribus litteris, multiplicique eruditione perpolitus, ex Monasterio S. Viti Basilianorum, in quo Abbatiam occupaverat, ad S. Agathae Gothorum Ecclesiam regendam primo missus a Martino V. Mox ab Eugenio IV. ad Bovianensem sedem translatus. Demum ad Metropolitanam Cathedram Compsanam gradum fecit Kalendis Iulii anno MCCCCXXXXIX. quo anno magnam sibi peperit existimationem in Concilio Florentino, cui interfuit. Compsae mortalitatem explevit an. MCCCCLV. Eiusque corpus in Cathedrali Ecclesia humatum.

XXIX.

IOANNES DE COMITIBUS nobilis Romanus, Callisto III. Pontifice Maximo, Compsanam Cathedram conscendit VII. Kal. Februarias MCCCCLVI. Mox a Sixto IV. Presbyter Cardinalis creatus titulo S. Vitalis VII. Kal. Ianuarii an. MCCCCLXXXIII. (1) Sequenti anno, Provincia abdicata, Romam concessit. Interfuit Comitiis pro electione Innocentii VIII., et Alexandri VI. Supremum diem Romae obivit XIII. Kal. Novembres MCCCCXCIII.

(1) Instante hoc Archiepiscopo, Serenissimus Rex Ferdinandus I. anno MCCCCLXV. confirmavit habitatoribus terrae S. Andreae, tamquam oblatis Ecclesiae, privilegia exemptionis ab omnibus Regiis vectigalibus, et impositionibus ordinariis, et extraordinariis.

XXX.

NICOLAUS GRATI DE COMITIBUS Romanus, Ioannis Cardinalis ex Sorore nepos, avunculo suo in Archiepiscopatu Compsano successit, Sixto IV. iubente, Kal. Octobris an. MCCCCLXXXIV. Absens Ecclesiam decem annis curavit, et Consecrationis munere non dum accepto, Romae e vita profectus est XII. Kal. Octobres an. MCCCCXCIV.

XXXI.

FRANCISCUS DE COMITIBUS Romanus, Iacobi, et Elisabethae Carafae Filius, Ioannis Cardinalis Archiepiscopi Compsani nepos, Nicolao subrogatus est in Sede Compsana VIII. Idus Octobres an. MCCCCXCIV. ab Alexandro VI. Pontifice Maximo. Concilio interfuit, quod Iulius II. in Lateranum anno MDXI. indixit. Mox a Leone X. Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis creatus nonis Iulii anno MDXVII. Tribus exactis mensibus Compsanam Ecclesiam dimisit. Fato concessit Turegii III. nonas Iulias anno MDXXI. ibique tumulatus.

XXXII.

CAMILLUS GESUALDUS Neapolitanus, genere clarus, Aloysii III. Compsae Comitis, et Ioannae Sanseverinae Filius, Prothonotarium Apostolicum Romae agebat, quum a Leone X. Pontifice Maximo, qui eo familiarissime utebatur, ad Compsanam regendam Ecclesiam est admotus III. Idus Septembres an. MDXVII. Boni Pastoris partes omnes implevit, et ubique ingenuitatis, diligentiae, et iustitiae edidit argumenta, effecitque, ut ab omnibus in summa dignatione haberetur. Eo postulante, Leo, novo dato diplomate, bona, et iura omnia Ecclesiae Compsanae adtributa, et fundos, possessionesque confirmavit (1).

(1) *Leo Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Provisionis nostrae debet provenire Subsidio, ut jus suum cuilibet prae-*

Mox, suprema Pii V. Pontificis auctoritate, insignem S. Laurentii in Tofara Abbatiam Archiepiscopali Mensae vindicavit (1). Quum annos decem et octo summa cum laude sedisset, aetate ingravescente, Provinciam abdicavit XIII. kal. Quinctiles an. MDXXXV.

---

servetur. Hinc est, quod tenore quarundam Litterarum felicis recordationis Innocentii Papae III. praedecessoris nostri, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Camilli electi Compsani, Secretarii, ac familiaris, et continui Commensalis nostri petitio continebat, ipse huiusmodi tenore se asserit indigere. Nos de ipsis Litteris de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Camilli electi supplicantis instantiam, praesentibus adnotari fecimus; quae talis est: Innocentius Episcopus, servus servorum Dei. Venerabili fratri Pantaleoni, Ecclesiae Compsanae Archiepiscopo, eiusdemque successoribus canonice instituendis in perpetuum. In eminenti et (heic Innocentii diploma de verbo ad verbum interseritur, quod habes pag. 300. not. 1. et e vestigio subiicit Pontifex): *Ceterum ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, ac eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quam haberent originales litterae superiores, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, et ubicumque sive in iudicio, sive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel ostensus, ac eidem tenori firmiter stetur in omnibus, sicut eisdem originalibus Litteris staretur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc tentare praesumpserit indignatione omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli, et Apostolorum ejus noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicae* 1518 *sexto Idus Maii, Pontificatus nostri anno sexto.*

(1) Servantur in tabulario Archiepiscopali litterae Apostolicae Pii Papae V. sub annulo Piscatoris, Romae apud S. Petrum die 26 Septembris MDXXI. quibus *reintegratur Mensae Archiepiscopali Abbatia S. Laurentii in Tofara de Petra pagana; et S. Mariae, S. Nicolai, S. Catharinae, S. Petri, S. Leonis, S. Ioannis, S. Mariae Annunciatae, S. Sophiae, S. Mariae de terris Contursii, et Oliveti.*

XXXIII.

Troianus Gesualdus, Fabritii Compsae Comitis, ex Sueva Caracciola Filius, Camilli Archiepiscopi nepos, creatus Archiepiscopus Compsanus a Paullo III. Pontifice maximo xvii. Kal. Sextiles anno mdxxxv. Sedit annos P. M. quatuor (1). Diem suum obivit an. mdxxxix.

XXXIV.

Nicolaus Caietanus, Camilli IV. Sermonetae Ducis, et Flaminiae Isabellae Filius, Paulli III. Pontificis maximi adfinis, primo Prothonotarius Apostolicus, deinde Diaconus Cardinalis titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano an. mdxxviii. Postea Archiepiscopatu Compsano auctus vi. Idus Sextiles mdxxxix. Demum ad Capuanam Ecclesiam administrandam est adcitus an. mdxlvi. E mundo abiit Kal. Maii anno mdlxxxv.

XXXV.

Marcellus Crescentius Cardinalis ex Marsorum Episcopatu ad hanc Metropolitanam transiit v. Idus Maias mdxlvi. Dum Pontificia Legatione in Sacro Concilio Tridentino fungebatur, morbo interceptus, Veronae vitae cursum consummavit Kal. Iuniis an. mdlii.

XXXVI.

Ambrosius Catharinus, qui antehac Lancellottus Politus, vir nobilitate generis, omnigenaque eruditione clarus, natus est Senis anno mcccclxxxvii. In eo a prima iuventute et proba animi indoles, et pietas, et acre

---

(1) Troiano sedente, invictissimus Imperator Carolus V. privilegium exemptionis an. mdxxxvi. renovavit, quod Ioannes de Comitibus a Ferdinando I. acceperat; vid. sup. pag. 311. n. not. 1.

ingenium emicuit. Nam politiorum litterarum, disciplinarumque cursu emenso, iurisprudentiae studiis se totum addixit, et vix decimum sextum aetatis annum adtigerat, quum iuris utriusque lauream adeptus in publico Senensi Gymnasio ad Civile ius explanandum accessit. Mox quum Italiam, Galliamque peragrasset, adhuc vigesimum quinctum aetatis annum agens, tantam in celebrioribus quibusque academiis sibi peperit existimationem, ut Leo X. Pontifex maximus, ingeniorum aestimator acerrimus, inter Concistoriales Aulae advocatos illum adlegerit. Sed huiusmodi studia prope fastidiens, et ad maiora molienda secessum quaerens, saeculi honoribus, et muneribus nuncium remisit, suique constans propositi trigesimo aetatis anno Dominicanae Familiae instituto se mancipavit. Qua in palaestra non tantum in liberalibus artibus, et in iurisprudentia, quibus erat affatim instructus, sed in philosophicis, et Theologicis etiam disciplinis praecellentissimos quosque superavit. Attamen ipsum hominis ingenium in caussa fuit, ut dum honores fugeret, in honores incideret. Paulli enim III. Pontificis auctoritate Episcopus Minorensis creatus VI. Kal. Septembres MDXLVI. et in Concilium Tridentinum missus, strenuissime omnium contra Lutherum, Erasmum, Ochinum, ceterosque religionis transfugas doctrina, et scriptis pugnavit (1). A praelio redux ad Archiepiscopalem Cathedram

---

(1) Opera, quae typis edidit haec sunt: I. Apologia pro veritate Catholicae, et Apostolicae fidei, ac doctrinae, adversus impia, et valde pestifera Martini Lutheri dogmata lib. 5. ad Carolum Max. Imperat. et Hispaniarum Regem -- *Florentiae* 1520 -- II. Excusatio disputationis contra Lutherum ad universas Ecclesias -- *Florentiae* 1521. -- III. Speculum Haereticorum contra Berardinum Ochinum -- *Romae* 1552. -- Speculum Haereticorum emendatum, auctum, dicatumque Paulo III. *Lugduni* 1541. -- IV. De peccato originali, et casu hominis: ad Cardinalem Rodolfum Carpensem. -- V. De perfecta justificatione a fide, et operibus: ad Cardinalem Gasparum Contarenum Venetum Pr. -- *Lugduni* 1541. -- VI. Adnotationes in excerpta quaedam de commentariis Cardinalis Cajetani S. Sixti dogmata -- *Parisiis* 1535. -- VII. Oratio de officio, et dignitate Sacerdotum,

Compsanam, Julii III. Pontificis imperio, quem Catharinus adhuc adolescens in iurisprudentiae disciplina instituerat, est evectus III. Nonas Iunias an. MDLII. Dioecesim universam lustravit, et brevi intervallo non pauca gessit memoratu digna, quamplura porro facturus, nisi a Pontifice Romam ad Sacrum purpuratorum Collegium vocatus, in medio itinere Neapoli vitam cum morte commutaverit VI. Idus Novembres an. MDLIII. Exsuviae in Ecclesia S. Catharinae sui Ordinis ad portam Campanam sunt depositae.

Christianique gregis Pastorum in Synodo Lugdunensi habita -- *Lugduni* 1537. Accedit Dissertatio pro auctoritate, ac potestate Pastorum, adversus haereticos, eodem Catharino auctore. VIII. Opuscula ab auctore recognita, et repurgata, et a Catholicis, doctisque viris diligenter expensa, atque probata -- *Lugduni* 1542. -- IX. Claves duae ad aperiendas, intelligendasque Sacras Scripturas, perquam necessariae. *Lugduni* 1543. -- X. De reprobatione doctrinae Fr. Bernardini Ochini, et aliquarum conclusionum Lutheranarum -- *Romae* 1544. -- XI. Oratio ad Patres: *Praecelsa loci hujus auctoritas* -- *Tridenti* 1567. -- XII. Tractatio quaestionis: quo jure Episcoporum residentia debeatur: Episcopo Praenestino nuncupata: adversus Caranzam -- *Venetiis* 1547. -- XIII. Censura in Libellum inscriptum: Controversia de necessaria residentia Episcoporum: Francisco de Navarra Episcopo Pacensi nuncupata. -- XIV. Defensio Catholicorum pro possibili certitudine gratiae adversus Dominicum Soto -- *Venetiis* 1547. -- XV. Interpretatio noni Capitis Synodalis decreti de justificatione: Ioanni Mariae de Monte, Episcopo Praenestino, et Marcello Cervino, Presbytero Cardinali, et universae Synodo Tridentinae nuncupata -- *Venetiis.* 1547. -- XVI. Defensio contra Schedulam a Fr. Bartholomaeo Spina Summo Pontifici oblatam ex Tridanto 17. Sept. 1546. ad Paulum III. -- XVII. Expurgatio adversus Apologiam Fr. Dominici Soto. Confirmatio defensionis Catholicorum pro possibili certitudine Gratiae adversus eumdem. Resolutio obiectorum circa tractationem de Episcoporum debita residentia -- *Venetiis* 1547. ab auctore recognita *Lugduni* 1551. -- XVIII. De consideratione, et iudicio praesentium temporum a supersatis zizaniis in agro Domini ad universos christiani gregis Episcopos, et Catholicas eorum Ecclesias, lib. quatuor -- *Venetiis* 1547. -- XIX. Summa doctrinae de Praedestinatione: Accedit Lucubratio de veritate enunciationum -- Doctrina de peccato originali, et Dialogus de iustificatione -- *Romae* 1550. -- XX. Disceptationum liber ad R. P. et S. T. Professorem F. Dominicum Soto. Ord. Praedic. super quinque articulis. *Romae* 1551. XXI. Commentaria in omnes Divi Pauli Apostoli Epistolas, et alias septem -- Canonicas. *Venetiis* 1551. -- XXII. Tractatus Theologici -- *Romae* 1551. et 1552. De eo haec Marracius in *Bibl. Marian. Miro devotionis aestu*

XXXVII.

HIERONYMUS MUZZARELLIUS domo Bononia, Theologus summus, et in hebraicis, graecisque litteris versatissimus, Dominicano instituto nomen dederat. Ex Sacr Apostolici Palatii Magisterio ad Archiepiscopale solium Compsanum gradum fecit IV. Idus Decembres, rem Christianam publicam Iulio III. gubernante. Qnantum ingenio, et consilii celeritate valeret, abunde in Concilio Tridentino, et in legatione Apostolici Nuntii apud Carolum V. Romanorum Imperatorem, demonstravit. Archiepiscopales aedes S. Andreae magna ex parte corruptas restauravit, turrimque praecelsam addidit. Sedit annis VIII. et Salerni terrenam confecit peregrinationem anno MDLXI. Corpus in Ecclesiam Sanctae Mariae sui ordinis prope summam aram inlatum (1).

---

semper exarsit erga Dei Genitricem, de cuius consummata gloria edidit librum unum, ad comprobandam etiam eiusdem praeservationem ab originali labe. Tractatus plures pereruditos composuit Lugduni, Romae, Senis, et alibi, in quibus immaculatam, purissimamque Virginis Mariae Conceptionem aperto marte a dextris, et a sinistris tuetur, ac defendit, atque id inter cetera lectu dignissimum, se miraculose in propria persona expertum fuisse huius Mariani privilegii constantiam.

(1) Urgente Archiepiscopo an. MDLX. Sancti Andreae Universitas in Regia Camera institit pro executione privilegii, de quo supra memini, et haec promulgata est sententia: *In causa universitatis Sancti Andreae cum Regio Fisco de, et super immunitate functionum fiscalium, aliarumque impositionum, ac donationum, ut in processu, cet. visis actis per magnificum U. J. D. Paulum de Magnatis Regiae Camerae Praesidentem, et Causae Commissarium, cet. assistente Domino locumtenente, et aliis Dominis Praesidentibus fuit provisum, et decretum, prout praesenti decreto providetur, et decernitur, quod dicta Universitas, et homines Sancti Andreae in futurum serventur immunes ab omnibus functionibus fiscalibus ordinariis, et extraordinariis, et ab omnibus aliis impositionibus, et donativis, cet. hoc suum cet. Paulus de Magnatis. Ioannes Paulus Crispus actorum Magister.*

XXXVIII.

Alphonsus Gesualdus, Aloysii Compsae Comitis, et Elisabethae Ferellae Filius, a Pio IV. Pontifice Maximo ad Compsanam Cathedram evectus est Kal. Martii MDLXIII. itemque in Sacrum Cardinalium Conlegium cooptatus. Vir egregiae indolis omni virtutum genere enituit, et iustitia, liberalitate, pietate, in primis vero consilii dexteritate Compsanam Diocesim usquequaque splendidissimam reddidit, ut non rector, sed fundator ab omnibus diceretur, et haberetur. Disciplinam Ecclesiasticam strenue adseruit, metropolitanum Capitulum qua potuit ope adiuvit (1), Ecclesiae iurium vindex exstitit accerrimus, et

---

(1) » Alphonsus Miseratione Divina tit. S. Ceciliae S. R. E. Presbyter » Card. Gesualdus Archiepiscopus Compsanus, ac Sanctissimi in Christo » Patris, et D. N. Pii Divina providentia Papae IV. et Sedis Apostolicae » de latere Legatus ad perpetuam rei memoriam.

» Universis, et singulis praesentes quoquo tempore lecturis, et audi- » turis salutem sempiternam in eo, qui est omnium vera salus. Pastoralis » muneris recordatio, quae nobis, ut par est, assiduo animo obversatur, » nos sollicitos habuit, ut rationem aliquam iniremus, qua Cathedrali Ec- » clesiae nostrae Compsanae in iis, quae divinum cultum concernunt, magis » opportunum, et consultum videretur. Nam cum ab Archiepiscopali ipsa » sede reliquis Ecclesiis, et uti subiecto gregi exempla sint petenda, illis » in divinis accuratius esse inserviendum perspicimus. Verum cum in eius- » dem Ecclesiae visitatione nuper a nobis facta, illam magna praemi fru- » ctuum, et proventuum paupertate invenerimus, et propterea Canonicos, » et alios omnes aliqua in eadem Ecclesia dignitate fulgentes, prae ma- » gna fructuum, et introituum tenuitate, se ipsos ita commode alere, et » Clericalis Ordinis dignitatem tueri, ut deceret, minime posse: nam » diurnis, et nocturnis horis insistentes, nec quicquam earum praetermit- » tentes, quae eorum muneris sunt, vix in annum ducatos de Camera vi- » ginti lucrantur, quo fit, ut diligentem operam in rebus divinis nava- » re, et virtute aliqua praedictae Ecclesiae inservire non multi faciant, et » si ad residendum cogi velint, aut dignitatibus privari, vix alii reperian- » tur doctrina, et moribus cogniti, qui in eorum locum substitui non re- » fugiant. Nos Capituli, et Ecclesiae nostrae praedictae paupertate com- » moti, Divini cultus augmentum ex eo maius provenire existimantes, si » uberioribus fructibus ad inserviendum etiam probos, et doctos viros quo- » que Civitatis, et Dioecesis ad se in Canonicorum Collegium adsciscì stu- » dendum invitemus, rationi congruum cum fit, virtutes praemio alere, et

qua forensibus actionibus (1), qua Philippi II. Catholici Regis, cui adprime acceptissimus erat, Rescriptis, bona iuraque sarta tecta sibi, suisque successoribus praestitit.

» animo ad labores spe mercedis propositae erigere. Quamobrem Canoni-
» corum numerum restringentes, et restrictum esse decernentes Sac. Trid.
» Conc. decretis etiam insistentes, illum in posterum perpetuis futuris
» temporibus ad duodecim tantum reducendum fore, et esse decrevimus.
» Et eum in praesentiarum Canonicatus aliquot illos, et alios quoscumque
» in futurum vacaturos, et prout quovis modo per obitum, privationem,
» assecutionem, aut alias vacare contingerit, quousque duodenarius tantum
» numerus remaneat, supprimimus, et penitus suppressos volumus, et de-
» claramus, illosque ex nunc, prout ex tunc eiusdem Ecclesiae nostrae
» mensae Capitulari cum omnibus iuribus perpetuo annectimus, et unimus,
» ita ut nec plures, nec pauciores esse possint. Illorumque omnium sic
» suppressorum, et aliorum, ut casus ferat, supprimendorum, et unien-
» dorum fructus, reditus, proventus, et obventiones undecunque prove-
» nientes, et proventuras inter duodecim Canonicos, vel alios Canonicali
» portione inter illos gaudentes quovis nomine, seu titulo censeantur, et
» iuxta formam, et tenorem Constitutionum, et Decretorum a nobis huc
» usque emanatorum, aut forsan emanandorum, vel in eadem Archiepi-
» scopali Sede, et Ecclesia in hunc usque diem receptorum antiqua con-
» suetudine dividendos esse, et dividi debere, servitiorum tantum, et iu-
» rium dignitatibus, et officiis forsan diversimode competentium ratione
» habita decernimus. Quae omnia, et singula, ut firmiori validitate ful-
» ciantur tam dicti Sac. Trid. Conc. Decretorum, quam Ordinarii Visita-
» toris auctoritate, et etiam vigore facultatum Legati de Latere sub Datum
» Romae apud S. Petrum 14. Novembris MDLXIII. ad quarum ulteriorem
» insertionem non teneremur. Nec non quo efficaciori modo possumus fa-
» cta, concessa, decreta, declarata, reducta, suppressa, et unita esse
» volumus, et mandamus per praesentes, omni aliter interpretandi facultate
» sublata, irritum esse, et inane decernentes quicquid a quonam quovis
» quaesito colore, causa, vel praetextu contingeret attentari, supplentes
» omnes, et quoscunque, si qui forsan intervenissent iuris, et facti defe-
» ctus, qui per nos melius suppleri possunt. In quorum fidem illas manu
» nostra propria subscriptas per infrascriptum Secretarium fieri, nostrique
» soliti sigilli iussimus appensione muniri. Datum Caletri eiusdem nostrae
» Dioecesis anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto. In-
» dict. octava, Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. N. Pii Anno sexto,
» mensis Iunii die ultima.

Alphonsus Card. Gesualdus Archiep. Compsanus, et Legatus.

(1) Excitata a Regio Fisco quaestione ad ostendendum titulum S Men-
nae, huiusmodi pronunciata est sententia. » Die x. Novembris an. 1567. In
» causa Regii Fisci cum Domino Cardinali Alphonso Iesualdo Archiepisco-
» po Compsano, de, et super ostensione tituli Sancti Mennae, per utrius-
» que iuris Doctorem Annibalem Moles, Regiae Camerae Summariae Prae-

Sedit Compsae annis x. omni aevo memorandus, et ad Metropolitanam Cathedram Neapolitanam translatus, facilem sui reliquit imitationem, difficilem aemulationem.

XXXIX.

SALVATOR CARACCIOLUS, Antonii Filius, Neapolitanus, Alphonsi Cardinalis Gesualdi ex Catharina Sorore nepos, Clericus Regularis, in graecis, latinisque litteris,

---

» sidentem, et praedictae Causae Commissarium, et facta de eius per eum-
» dem relatione in Regia Camera, ipsius consensu provisum, et decretum,
» prout praesenti decreto decernitur, et providetur; a praedicta impetitio-
» ne Regii Fisci, dictus Reverendiss. Dominus Cardinalis Iesualdus absol-
» vatur, prout praesenti decreto absolvitur, hoc suum, cet. Annibal Mo-
» les. Ioannes Baptista Crispus Magister actorum.

Altera oborta quaestione de finibus Palirotundi, ista est interposita sententia: » Die vigesima secunda Ianuarii 1567. in causa Illustriss.
» ac Reverendiss. Cardinalis Iesualdi Archiepiscopi Compsani cum Illustriss.
» Principe Melfiae super territorio Palirotundi in actis deducto, prout par-
» ticulariter in processu continetur. Visis actis causae praedictae per ma-
» gnificum U. I. D. Didaeum Descobar Regiae Camerae Praesidentem, et
» Causae Commissarium, factaque per eumdem relatione in dicta Regia
» Camera aliis magnificis Dominis Praesidentibus, auditisque super prae-
» dictis Regio Fisco, et magnificis Advocatis partium praedictarum, fuit
» per eamdem Regiam Cameram, discussis discutiendis, et consideratis
» considerandis, provisum, et decretum, prout praesenti decreto decer-
» nit, et providet, qualiter dicti territorii Sanctae Veneris, et Paliro-
» tundi a latere versus Molendinum Cisternae incipiant a fine, et termino
» nominato Panis, seu Palus rotundus, et deinde descendit per terram
» ad terram per Illustriss. Principem denominatam del Muro, et deinde
» usque ad flumen Aufidi in frontespicio rivi nominati de Vuglia; et ab
» alio latere versus domum de la Leonessa, alter terminus dicti territorii
» Palirotundi sit, et intelligatur Petra, per dictum Illustriss. Cardinalem
» nominata lo termino, ascendendo per terram usque ad petram in aqua
» finit: distant: inter dictas partes circa finem, seu terminum praedi-
» ctum, et ab inde discurrat usque ad fontem del Romaldo, et fontem
» Sambuci, nominatum per dictum Illustriss. ac Reverendiss Cardinalem,
» et deinde ad praedictum terminum Panis, seu Palus rotundus, et pro-
» inde praefatus Illustriss. Princeps condemnetur, prout praesenti decreto
» condamnatur ad relaxandum, et restituendum eidem Illustriss. ac Reve-
» rendiss. Cardinali territorium, quod possidet infra fines praedictos prae-
» dicti territorii Palirotundi. Hoc suum, cet. -- Descobar -- Ioannes Bap-
» tista Crispus pro magistro Actorum.

nedum omnium Scientiarum genere egregie excultus. Quo tempore Mediolani in domo S. Calimeri versatus est, eius operam in pluribus suae Ecclesiae rebus adhibuit Beatissimus Archiepiscopus Carolus Borromaeus, cui ob ingenuos mores, et summam integritatem, dexteritatemque maxime erat devinctus. Romae Praepositus S. Silvestri renunciatus, quum magna floreret apud ordines omnes existimatione, a Gregorio XIII. Pontifice Maximo ad Compsanam Ecclesiam regendam missus est VII. Kal. Decembres an. MDLXXII. Consecrationis munus ab Avunculo Cardinali Gesualdo in ipsa S. Silvestri Ecclesia accepit. Compsam vix ingressus sibi omnium voluntates adiunxit. Nam ita se totum in fovenda, excolendaque vinea Domini diu noctuque impenderat, ut non sibi, sed dioecesi vivere videretur. At plausus in luctum, et lacrymas repente conversus est. Mors enim, intra annum, Apostolicum hominem Dioecesi Compsanae invidit X. Kal. Decembres an. MDLXXIII. Collacrymantibus omnibus, veluti communi Parente orbatis, elatus est, et in Cathedrali Ecclesia intra S. Antonii Patavini Sacellum conditus. Sequenti anno Pontificis max. auctoritate Neapolim translatae exsuviae, omni ex parte integrae recognitae sunt, et magna funeris adparatione in Ecclesia S. Paulli maioris reconditae.

XL.

Marcus Antonius Piscara Neapolitanus, Aquae Formosae in Calabria Abbatiam occupabat, quo tempore ad Archiepiscopalem Cathedram est vocatus Idibus Martiis an. MDLXXIV. Universae dioecesis Ecclesias iterum iterumque ea exquisita sollertia perlustravit, quantam acta Sanctae visitationis, quae in Archiepiscopali tabulario adservantur, adprime demonstrant. Compsanae Basilicae Chartophylacium, in quo veteres contractuum, donationum, privilegiorumque membranae continebantur, Bartholomaei Bardarii, Archipresbyteri Volceiani opera adiutus excussit, earumque syllabum Visitationis Codici vo-

fuit adpositum. Archiepiscopales S. Mennae aedes terrae motu mense Martio an. MDLXI. labefactatas, quassatasque restituit. Plenus dierum, et laborum Volcei in Archiepiscopali Palatio spiritum auctori suo reddidit an. MDLXXXII. Corpus in Maiori Ecclesia conditum est.

XLI.

SCIPIO GESUALDUS, Hectoris ex Victoria Capana Filius, Piscaram in Archiepiscopatu excepit XIV. Kal. Decembres an. MDLXXXVII. Dioecesanam Synodum in Cathedralem Basilicam coegit XIV. Kal. Novembres an. MDLCVII. In pace Domini obdormivit anno MDCVIII. (1)

XLII.

BARTHOLOMAEUS CARDINALIS Cesius Archiepiscopalem Cathedram Compsanam adscendit V. Non. Martias an. MDCVIII. Paullo V. Pontifice maximo. Sexennio exacto Ecclesiam dimisit. Mox ad Tiburtinam curandam arcessitus est. Universae carnis ingressus est domum XV. Kal. Nov. MDCXXII.

XLIII.

CURTIUS COCCIUS Aquilanus a Paullo V. Pontifice Maximo Archiepiscopus Compsanus est renunciatus V. Idus Martias an. MDCXIV. Vir ingenio potens, et consilio Ecclesiae suae iura strenue tutavit, Curatoresque Universitatis S. Mennae decimarum solutionem detrectantes a Sacris removit. Sedit annis P. M. VII. In patria obiit.

---

(1) Memoratur in Epigraphe ad aes Campanum Cathedralis Ecclesiae:
Imbres ecce fugo tempestatesque sonoras
Horrida prosterno Doemonis arma sonans
Ad Divina voco praeconis munera fungens
Omnibus et Festos nuncio laeta dies
Anno Domini MDCV. Praesulatus
Domini Scipionis Gesualdi
Equitis Neapolitani an. XVIII.

XLIV.

Fabius de Legunissa Neapolitanus, Ioannis Baptistae ex Felicitate Caracciola Filius, acceptam a maioribus suis nobilitatem, virtute auxit, et doctrina. Paullus XV. hominis ingenium admiratus, utriusque Signaturae Referendarium dixit. Dehinc Sacrae Fidei quaesitor Melitam missus. Mox Romae S.Officii Comitiis adlectus. Gravissimis muneribus integerrime perfunctum Gregorius XV. ad Archiepiscopalem Compsanam Cathedram evexit ix. Kal. Martias mdcxxii. Toto Pontificatus cursu nihil umquam egit, quod sibi laudem non peperisset. Insubria bello turbata, Urbano VIII. iubente, eo profectus est cum Cardinali Barberino ad pacis conditiones dicendas. Hac expeditus missione, ad Belgas Nuncius Apostolicus commigravit. Demum Patriarcha Antiochenus dictus, Compsanam Provinciam abdicavit anno mdcxlv. Decessit anno mdclii. Corpus in Ecclesiam Coenobii Montis Virginis delatum, in qua vivens sibi sepulcrum paraverat.

XLV.

Hercules de Rangonibus Mutinensis, ex Episcopatu S. Angeli Langobardorum ad Metropolitanam Sedem, Innocentio X. Pontifice Maximo, transiit x. Kal. Novembres an. mdcxlv. Dioecesanam Synodum in Ecclesiam Capitis Silari, ubi consederat, vocavit vi. Idus Septembres mdcxlvii. Maiorem S. Mennae Ecclesiam, laxatis spatiis, in ampliorem formam redegit. In somno pacis quievit mense Februario anni mdcl. Corpus in Ecclesia Capuccinae Familiae eiusdem pagi iacet (1).

---

(1) Haec eius tumulo leguntur inscripta:
Lustra decem post octo iacent bis mense secundo
Saeculo Rangonis Praesulis ossa nece.

XLVI.

Fabritius Campana, Caelestinorum Generalis Abbas, Theologus summus, Innocentio X. rem Christianam tractante, Pontificalia obtinuit insignia xi. Kal. Iunias an. mdcli. Dioecesanam Synodum in S. Andreae maiorem Ecclesiam indixit xvi. Kal. Iulias an. mdclviii. Integerrimi Pastoris dotes, iustitia, caritas, beneficentia, omnes in eo confluxerunt. Naturae debitum reddidit Romae an. mdclxvii. conditusque in Ecclesia S. Eusebii Caelestinae Congregationis.

XLVII.

Iacobus Lentius Romanus, Generalis Abbas Casinensium, vir doctus, comis, munificus, Archiepiscopales infulas ab Alexandro vii. accepit an. mdclxviii. Immatura morte Caletri, ubi consederat, raptus est iii. Kal. Septembres an. mdclxxii. Humo receptus in Ecclesia maiori eiusdem pagi, ubi optimum Pontificem usque intra tumulum uno mense sunt sequuti et qui Vicariam illi operam commodaverat, et qui a Secretis aderat.

XLVIII.

Paullus Caravita, nobilis Neapolitanus, Thomae Caravitae Regii Consiliarii Filius, Neapoli Abbatia Monasterii Montis Oliveti potiebatur, quo tempore a Clemente X. Pontifice Maximo ad Archiepiscopatum Compsanum est evectus iv. Kal. Februarias an. mdclxxiii. Aedes Archiepiscopales S. Mennae funditus eversas de novo extruxit. Ecclesiae suae iura constanti animo propugnavit. Diem clausit suum iv. Kal. Octobres anni mdclxxxi. conditusque in Ecclesia Capuccinorum (1).

(1) Tumulo haec inscripta epigraphes:
Mille fluunt anni sexcentum annumeratis.
Octuaginta simul consocianda semel.

XLIX.

Caietanus Caracciolus, Thomae ex Victoria Sersale Filius, e Ducibus Belcastri, Clericus Regularis, Orator eximius, Compsanam Cathedram conscendit pridie Kal. Apriles an. MDCLXXXII. Neapoli ab Innico Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Consecrationis munus, indulgentia Innocentii XI. Pontificis Maximi, accepit. Pallio in aedibus S. Mennae a Carolo Gargano Episcopo Belcastrensi, ex eiusdem Pontificis potestate insignitus. Dioecesanam Synodum in S. Mennam vocavit III. Nonas Iunias an. MDCLXXXVI. Alteramque eodem V. Nonas Iulias an. MDCCVII. coegit. Pontificales domos S. Andreae, et S. Mennae magno impendio refecit, et utrobique continentia Templa excitavit, alterum apud S. Andream, Militiae Caelestis Principi S. Michaeli Archangelo dicatum, alterum in S. Menna Divo Caietano Sacrum. Vtrique VI. millia centussium, stipulatione per tabellionem Dominicum Zuccarum interposita, donavit XVIII. Kal. Septembres an. MDCCVII. ut ex eius summae usuris (1), quam Neapoli in Deiparae Virginis Annunciatae thesauro deposuit, Sacrae Aedes singulis annis aeque repararentur, exornarenturque, et ubi faciundum nihil reliqui fuerit, Sacra quotannis celebrarentur. Vir sanctitate vitae, vigilantia, doctrina cum priscis Ecclesiae Pastoribus comparandus. Mortalitatis cursum in aedibus S. Mennae explevit III. Idus Augustas an. MDCCIX. Corpus in S. Andream magna funeris pompa delatum, in hypogaeo Templi S. Michaelis terrae traditum (2).

Vicenusque dies sextus cum mense Septembri.
Quo rapuit terris mors truculenta virum.
Hic tibi, o Paulle, cineres mors servat in urna.
Antistes Compsae tu Caravita pie.

(1) Quae post mensae conflagrationem infra quinquaginta scutatos sunt contractae.

(2) Quum nullus in hypogaei substructionibus ordo habitus fuerit, et lacuna ingens inter Templum, et Archiepiscopale viridarium, nullo excavato dilabentibus aquis alveo, intercederet, tum ex superiorum temporum negligentia factum, ut aquae, per eiusdem hypogaei aditum praeterp

Postremis tabulis Vincentium Ursinum Archiepiscopum Beneventanum, qui mox Pontifex Maximus Benedicti XIII. nomine est salutatus, testamenti executorem nuncupavit, cuius cura, et providentia Cathedralis Basilica, quae novissimis terrae concussionibus an. MDCXCIV. prorsus corruerat, in elegantiorem formam ab integro est restituta.

L.

FRANCISCUS NICOLAI, Dominici filius, ex Canneti Marchionibus, natus Altamurae XI. Kal. Sextiles an. MDCLVII. in canonum disciplina consummatae peritiae (1). Canusinae Ecclesiae Praepositus datus est ab Alexandro VIII. anno MDCLXXXIX. Hinc renunciatus Episcopus Caputaquensis anno MDCCIV. Ecclesiam quum integerrime undecim annis curasset, ad Compsanum Archiepiscopatum est translatus IV. Non. Septembres an. MDCCXVI. Palliumque ab Innico Cardinali Caracciolo Archiepiscopo accepit XIV. Kal. Decembres eiusdem anni. In restituenda Dioecesis disciplina, pene conlapsa, diu adlaboravit, et vulnera, quae, Pastore per octo annos viduata, acceperat Ecclesia, sua vigilantia, et charitate abstersit. Templum metropolitanum omni cultu exornavit. Aedes ad Sacram iuventutem instituendam ampliavit, dotemque ex praedio adtribuit, quod scutatis X. millibus Bitecti comparavit. Vir memoria temporum dignissimus ad senectam delapsus, Ecclesiam sponte dimisit anno MDCCXXXI. et paucis post mensibus apud S. Andream III. Idus Augusti desiit esse. Corpus marmorea arca inclusum in Templo S. Michaelis Archangeli resurrectionem expectat.

---

fluentes meritissimi Archiepiscopi Sepulcrum intime adeo permeaverint, ut anno MDCCCXIX. in Templi instauratione, nonnisi caput tantum inventum fuerit, quod in communi decessorum Francisci, et Iosephi Nicolai sarcophago reconditum est.

(1) Edidit Romae Opusculum *de Episcopo visitatore, seu de antiquo Regimine Ecclesiae vacantis.*

LI.

Iosephus Nicolai, quod Franciscus Patruus deposuit, onus subivit v. Id. Apriles an. MDCCXXXI. Ab ipso regiminis initio magna egit. Quum enim Basilica Cathedralis, primo Pontificatus anno, terrae tremore iterum concussa exitium minitaretur, a fundamentis sua impensa, opere, et cultu splendidiori restituendam curavit. In universa Dioecesi insignia pietatis, prudentiae, et amoris exhibuit argumenta. Atque illud in primis maximum, quod de salute animarum anxius, conlatis iterum iterumque cum Beato Alphonso Maria de Ligorio consiliis, eoque in Dioecesim adscito, Collegium Patrum Sanctissimi Redemptoris in colle ad Caput Silari fundavit, ut intra Dioecesim ad diffluentes populi mores corrigendos, perpetuo Missionibus adlaborarent. In quod opus scutatorum plus quam XII. millia erogavit (1). Praeterea ne virginum egestate labo-

---

(1) *Ioseph Nicolai Dei, et Apostolicae Sedis gratia huius Sanctae Compsanae Ecclesiae Archiepiscopus Metropolitanus, SS Domini nostri Praelatus Domesticus, ac Pontificio Solio assistens, Baro oppidorum S. Andreae, et S. Mennae, ac utilis Dominus Feudi Palirotundi.*

Dilecto Nobis in Christo admodum Reverendo Domino Alphonso de Liguori Patritio Neapolitano, et Sociis Presbyteris Missionariis nuncupatis Sanctissimi Salvatoris salutem, et benedictionem in Domino sempiternam. Evangelicae praedicationis munus ad maiorem Dei gloriam, et ad animorum salutem, a Christo Domino institutum, est tam perutile, et necessarium, ut non minus quam Corpus Christi, quoad efficientiam a Divo Augustino reputetur, quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, et sicut cibo materiali alitur corpus, ita et spirituali, ait S. Antoninus, reficitur anima, quod est verbum Dei, hoc sane ad vitia redarguenda, ad bonos mores inducendos, et oves in viam Domini dirigentes, praecipuum est Episcoporum, quos Deus posuit regere Ecclesiam suam; ipse vero Dominus, increata Patris Sapientia, et humanae vitae auctor, et particeps, nostrum noscens figmentum, nobis tradidit exemplum, septuaginta duos discipulos mittendo binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo ipse erat venturus, ut in hoc aeternae salutis negotio, aliena opera, et auxilio uti valeamus, Nos praecipue, cui a Domino data est messis multa, et operarii pauci; quare ad eum, qui dirigit sensus, et corda nostra, oculos, et mentem levavimus, unde veniret auxilium Nobis, et

rantium honor periclitaretur, scutatos mille testamento Successoribus legavit an. MDCCLVIII. ut ex eorum reditu quotannis in perpetuum dotes puellis e plebe S. An-

---

omnipotentem Deum, e cuius uberrimo fonte eloquia sancta, et eloquia casta proveniunt, sumus enixe, et humiliter deprecati, qui preces Nostras dignatus est exaudire, et Nostra complere desideria: Dum vos qui reliquistis omnia, et sequuti estis Christum Iesum, cum Sancta Missionis ope, diaboli insidias expugnare, et animas Deo referre curetis, vestram operam, vestrum auxilium, et adiutorium in pascendo grege, Nostrae Pastorali Curae concredito, Verbi Dei praeconio obtulistis: Vos quidem, qui linguis igneis legem igneam praedicantes, qua vitia comburuntur, et virtutes accenduntur, in pluribus huius Regni locis admissi, ac in Nostra signanter Archidioecesi, ad excolendam, praevia Sancta Missione, vineam Domini, ob magnum animarum profectum, Nos laetantes conclamare fecistis: quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona: vos inquam, tamquam missos a Deo, a quo factum est istud, hilari animo in Nostrum adiutorium recepimus, et toto corde sumus amplexati, atque in Ecclesia Sanctae Mariae Matris Domini, mansionibus extra moenia Caput sileris huius praedictae Nostrae Compsanae Archidioecesis sitis, in loco nempe magis apto, pro utilitate, et commodum Nostrorum subditorum, obfirmare, et constabilire statuimus: Quocirca praemissis Regiae Maiestatis Piissimi Nostri Catholici Regis assensu, cessione earumdem Ecclesiae, et mansionum cum medietate eius redituum, et bonorum, Apostolico beneplacito munita per Reverendos Archipresbyterum, et Presbyteros participantes Parochialis Ecclesiae memorati Oppidi, sub quorum directione, et administratione ipsae existebant, ac donatione capitalis ducatorum bis mille a Nobis libenti animo, et puro corde, pro vestra substentatione facta, praeter alias a Rev. D. Francisco Margotta oppidi Caletri, et U. I. D. Petro Zoppi Nostri oppidi S. Mennae peractas oblationes, Ecclesiam S. Mariae Matris Domini, et mansiones, cum omnibus suis iuribus, pertinentiis, et actionibus, ordinaria, ac Apostolica simul a Sacra Congregatione Nobis delegata auctoritate, praesentium litterarum tenore, vobis supradictis in Domino concedimus, et assignamus, cum pactis, et conditionibus appositis in instrumento donationis sub die 5. elapsi mensis Decembris, rogato per magnificum Notarium Gherardum Ilario recensiti oppidi Caputsileris cum facultate memoratas Ecclesiam, et mansiones dilatandi, ampliandi, novam domum construendi, in ea habitandi, concionandi, pia opera, exercitia spiritualia, et Ecclesiasticas functiones persolvendi, salvis tamen iuribus Nostris Archiepiscopalibus, et Parochialibus, vestra statuta, et regulas a Nobis diligenter recognitas, et adprobatas, confirmando, ut iuxta eorum, et earum normam, ibidem vivere valeatis, cum Nos in eodem bonorum omnium largitore, qui dirigit pedes Nostros in viam pacis plurimum confidimus, ut quemadmodum bonum est habitare fratres in unum, ita crescente tempore, magis vobiscum crescat, et erga pro-

dreae, et S. Mennae dividerentur. Vixit annis LXIV. dies p. M. XXI. Sedit annis XXVII. Obiit VIII. Kal. Novembres an. MDCCLVIII. eodem tumulo receptus, quo Patruus.

LII.

MARCELLUS CAPANUS URSINUS gubernaculis Compsanae Metropolis adsedit an. MDCCLIX. Provinciam administravit annis VII. Desideratus est Compsae IV. kal. Iulias an. MDCCLXV.

LIII.

CAESAR ANTONIUS CARACCIOLUS, Clericus Regularis, natus XII. kal. Iulias an. MDCCXIII. Creatus Archiepiscopus Compsanus V. Idus Decembres an. MDCCLXV. Adversa con-

---

ximum ardor charitatis Volumus autem, ut vos, successores vestri, et cuncti in praefatis Ecclesia, et mansionibus, sive domo permanentes, et omni futuro tempore permansuri; atque Ecclesia ipsa, mansiones, et domus, Nobis, et Successoribus Nostris, nostraeque omnimodae perpetuo subiaceant iurisdictioni, atque Nostrae correctioni, visitationi, et obedientiae, in spiritualibus, et temporalibus sint integre subiecti, ac in signum subiectionis, et superioritatis recognitionis, singulis annis, in die Nativitatis B. M. V. quae in eadem Ecclesia uti in titulum solemniter celebratur, libram unam cerae albae elaboratae respondere, et ad Nos deferre teneamini, propterea omnibus, et singulis, ad quos spectat, et signanter Reverendis. Archipresbytero, et Presbyteris, et Curato Clero, et Populo recensiti oppidi Caputsileris mandamus, ut in praefatis Ecclesia, mansionibus, et domo, toto animi sensu, et charitate vos recipiant, et in veram, realem, corporalem, ac actualem possessionem earum Nostra Archiepiscopalis Curia immittat, amoto quolibet per Ecclesiasticas Censuras, et poenas, si opus fuerit, detentore. Cum Deo demum, et in Deo manete, qui emittat vobis Spiritum Septiformem, Spiritum sapientiae, et intellectus, Spiritum consilii, et fortitudinis, Spiritum scientiae, et pietatis, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. In quarum fide his praesentes litteras manu Nostra subscriptas, et Nostri sigilli magni impressione munitas per infrascriptum Nostrum Secretarium expediri iussimus. Datum ex Nostro Archiepiscopali, et Baronali Palatio S. Andreae hac die vicesima quinta mensis Ianuarii 1748. Pontificatus SS. in Christo Patris Benedicti XIV. an. eius VIII. feliciter. Archipraesulatus vero Nostri Compsani an. XVII. humiliter. Amen.

JOSEPH. ARCHIEPISCOPUS COMPSANUS.

flictatus valetudine Neapolim petebat, quum mors illi, n suffraganea S. Angeli Langobardorum Ecclesia, obviam acta, terrenum iter intercepit VI. kal. Novembres an. MDCCLXXVI. Suprema pietatis officia a Canonicis S. Angeli solemni ritu in Cathedrali Ecclesia sunt persoluta. Ibi iacet.

LIV.

IGNATIUS ANDREAS SAMBIASIUS, Clericus Regularis, orator insignis, natus est IV. Nonas Ianuarias an. MDCCXIII. Ab Episcopatu Theramensi ad Archiepiscopatum Compsanum translatus VI. Idus Februarias an. MDCCLXXVII. A saeculi anxietate evasit Neapoli VIII. kal. Iunias an. MDCCXCIX. Corpus in Ecclesia S. Paulli maioris in communi Patrum requietorio conlocatum.

LV.

IOACHIMUS MANCUSIUS Neapolitanus, natus X. kal. Iunias an. MDCCXLVII. A Cura Parochialis Ecclesiae S. Mariae de Platea ad supremam Compsanae Ecclesiae Curam adscendit VI. kal. Iulias an. MDCCCV. Temporum asperitate forti animo diu tolerata, quietem, quam vivens frustra bonus Pastor quaesivit, moriens invenit Neapoli III. Nonas Ianuarias an. MDCCCXII.

LVI.

MICHAEL ARCHANGELUS LUPOLI Episcopus Montispelusii VII. Idus Septembres an. MDCCXCVII Archiepiscopus Compsanus XI. Kal. Iulias an. MDCCCXVIII.

INDEX

CAPITUM

QUAE HAC SYNODO CONTINENTUR.

PARS III.

PARS IV.

Pag.	*vers.*	Errata	Corrige.
10	10	sed et istis	sed et illis
11	6	si, quem	si, quempiam
32	25	monenus	monemus
ibid.	28	odsequia	obsequia
60	22	potnetissimum	potentissimum
62	10	albitram	arbitratu
85	25	Clementis VII.	Clementis VIII.
104	24	ne a primo	ne quis a primo
132	1	superpelliceis	chorali veste
133	15	nis	nisi
173	29	eo die	eo mense
205	7	matrimouialibus	matrimonialibus
214	15	Sacerdotiqus quibuscumbue	Sacerdotibus quibuscumque
218	11	admissea	admissae
222	3	supelectiles	supellectiles
245	18	patronato	patrimonio
248	25	KAMNANO	KAMΠANO
304	25	MDLXXI	MDLXXV